BENEDICTI COLVCCII
DE DISCORDIIS
FLORENTINORVM
LIBER

BENEDICTI COLVCCII
PISTORIENSIS
DE DISCORDIIS
FLORENTINORVM
LIBER
NVNC PRIMVM EX MS. COD.
IN LVCEM ERVTVS
A LAVRENTIO MEHVS
ETRVSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCIO.

FLORENTIAE MDCCXLVII.
APVD IOANNEM PAVLLVM GIOVANNELLI
PRAESIDVM PERMISSV.

ILLUSTRISS.^MO ATQVE EXCELLENT.^MO DOMINO

PETRO MOCENICO

SENATORI VENETO,

AC PATAVINI LYCEI MODERATORI

LAVRENTIVS MEHVS D. D. C.

I quis fortasse admiretur, PETRE MOCENICE SENATOR AMPLISSIME, quod Tibi potissimum

hoc opuſculum a *Benedicto Coluccio* Hiſtorico Piſtorienſi compoſitum nuncupaverim, is velim exiſtimet in Te ea omnia divinitus ſita eſſe, quae me ad Tuam fidem, clientelamque optandam adducerent. Nam quum hic Libellus breviter, luculenterque ea narret, quae in Italia poſt Coſmae Medicei mortem acciderunt, iure Tibi deberi mihi viſus eſt, quum Tu ex GENTE MOCENICA ſis, ex ea ſcilicet, quae hiſtoriarum monumentis ſedulo incubuerit. Quaenam enim immortalis Reip. Tuae Familia aut genere praeſtans, aut vetuſtate, opibuſque efflorescens, aut publicis muneribus inſignis unquam fuit, quae in antiquiſſima MOCENICA GENTE inter tot domeſtica virtutis, ac Litterarum exempla, inter innumera fortiter, & ſapienter geſta, inter maximas dignitates ANDREAM MOCENICVM Cameracenſis Belli Scriptorem non ſuſpexerit? At ANDREAE MOCENICI gloria adeo

deo late pervagata est, ut non solum Venetae Reipublicae fines superaverit, sed in ultimas Italiae, Europaeque terras delata barbarorum aures impleverit. Praeterea quum Tu, SENATOR AMPLISSIME, in sapientissimo Venetorum Patrum Ordine cooptatus sis, longoque rerum usu edoctus excelleas, nihil Tibi gratius offerri posse arbitror, quam praeteritarum rerum memoriam, ex qua vetera cum nostris conferens tamquam ex alta specula ea prospicis, quae eventura sunt. Illud etiam accedit, quod Litterarum, Scientiarumque praeceptis, atque institutis abundas, earumque amore mirifice detineris, ita ut Patavini Lycei grande decus Tibi, aliisque clarissimis Viris demandatum magis, magisque provehas. Excipe igitur hilari vultu Libellum hunc, qui nunc primum Te Duce, & Auspice in lucem prodit, & si eiusdem Auctor Venetam virtutem aliquando deterit, ab Amplitudi-

nis Tuae fulgore, atque auctoritate coercendum Tibi sisto. Vale SENATOR AMPLISSIME, diuque vive felix magnum Venetae Reipublicae, ac MOCENICI GENERIS incrementum. Dabam Florentiae Kalendis Novembribus An. MDCCXLVII.

CAN-

CANDIDO LECTORI

LAVRENTIVS MEHVS

S. P. D.

Libellus hic historicus Benedicti Coluccii Pistoriensis nunc primum in lucem prodit ex Cod. membr. Class XXV. N. LIV. in 8 Bibl. Magliabechianae, cui praeest Ioannes Targionius Vir doctissimus. In MS. pro Florentinorum *legitur* Latinorum, *idest* Italorum. *Sic pag.* 4. apparatum Latinorum Principum, & excidio Latinorum: *pag.* 49. Latinorum Duces, *pag.* 53., *&* 55. Legatos Latinorum Principum, ac Senatuum *pro Italorum dixit. Eodem dicendi genere in aliis scriptis suis utitur Coluccius, ut* Latinorum virtus palam,

& in

& in luce versabitur &c. ceteros quoque Latinorum Principes, & Senatus ec. Latinorum virtute confisi *&c. idest Italorum, quos Latinos appellat. Sed in margine Codicis Magliabechiani pro* Latinorum *legitur* Florentinorum, *quod ego malui. Nam quamvis ceteri Italiae Principes inter se ea aetate decertaverint; belli tamen semina a Florentinorum civilibus discordiis profluxerunt. A quo vero anno haec Coluccii Historia deducatur, facile cognosci potest ex rebus gestis, quae in ea passim enarrantur. Nam pag.* 9. *ait discordias civiles post Cosmae Medicei mortem incoeptas palam fuisse. Porro Cosmas Medices obiit ineunte Augusto anni* 1464., *ut testatur in suo Chronico Cl. Matthias Palmerius Pisanus. Bartholomaeus Fontius in Annalibus suorum temporum MSS. in Bibl. Riccardiana haec habet ad annum* 1464. Cosmus Medices Florentinorum sapientissimus, & Litteratorum hominum amantissimus Charegia in villa sua intra secundum ab Vrbe Florentia lapidem obiit Kalendis Augusti Mercurii die hora secunda, atque vigesima, & eadem nocte corpus Florentiam delatum est, ac sequenti mane IIII. Nonas Augusti in Templo S. Laurentii, quod magnifice aedificavit, sepulcro conditum hoc super epigrammate insignito; Cosmus Medices publico de-

decreto Pater Patriae. Vix. Ann. LXV. Menf. III. D. XX. Pag. 16. *commemorat mortem Francifci Sfortiae Mediolanenfium, & Ianuenfium Ducis, regimenque Mediolani, & Ianuae ab eius Filio Galeazo natu maiore fufceptum. Quod quidem annum* 1466. *indicat. Fontius in Annalibus MSS. fub idem tempus*: Francifcus Sfortia VIII. Idus Martias moritur anno aetatis quarto, & fexagefimo iam exacto, cui in Ducatu fucceffit Galeatius Maria filius natu maximus *Pag.* 32. *meminit exilii, quo ab Octo-Viris, qui Reip Florentinae praeerant, omnes Nerones, Angelus Acciaiolus, & Nicolaus Soderinus cum filiis damnati funt, quod eodem an.* 1466 *accidiffe teftatur Fontius in Annalibus MSS. ad ann.* 1466. *his verbis*: Angelus Acciaiolus, & Dietifalvius Nero infignes Equites, & Nicolaus Soderinus difertus, & acer, & popularis civis a factione Petri Medicis Cofmi filii pulfi funt; & hoftes patriae iudicati. *Pag* 36 *feq. loquitur de foedere percuffo inter Senatum Florentinum, Ferdinandum Regem, Ducemque Galeazum contra exules, eorumque focios, quibus praeerat Bartholomaeus Bergamenfis Venetorum Ductor. Foedus autem percuffum fuit circiter an.* 1467 *Fontius in Annalibus MSS. ad an.* 1467. Bartholomaeus Bergamen-

fis,

ſis, cui Coleoni cognomen fuit, quod caput Leonis inſigne geſtabat, a ſuperiore anno eiectis Florentinis exulibus concitatus, ut eos in patriam reduceret, in Flaminiam venit cum ingenti, validoque exercitu clam Venetis adiuvantibus, cui Galeatius Maria Mediolani Dux, & Ferrandi Regis filius Alphonſus Calabriae Dux, & noſtrae copiae adeo fortiter reſtiterunt, ut acri commiſſa pugna aequo marte ab omnibus diſceſſum ſit. *Pugnam, cuius Fontius meminit, commemorat Coluccius pag. 45. ſeqq. Praeterea tradit pag. 54. Sarezanam, ac multa oppida a Ludovico uno ex nobilibus Ianuae, a Ludovico ſcilicet Fregoſo Florentinis vendita fuiſſe. Hoc ineunte an. 1468. accidiſſe teſtatur Fontius in Annalibus Manuſcriptis, ubi*: Serzana, *inquit*, urbs cum parte Lunenſis agri a Ludovico Fregoſo, & Tomaſino eius filio a Florentinis empta eſt etiam tunc Coleonico in Flaminia flagrante bello ſex, & triginta millibus aureis nummis Senis venditori perſolutis. *Pag. 55. loquitur de pace a Paulo Secundo indicta. Hanc vero Paulus Pontifex an. 1468. publice indixit, de qua haec habet Matthias Palmerius Piſanus ad ann.* 1468. Pontifex per hyemem magna induſtria, & labore

res

res Italas componere enixus quum non ſatis inter partes conveniretur, veluti rerum Dominus, ac pacis auctor inter celeberrima ſacra publice pacem certis conditionibus indicit eos, qui adverſarentur, Chriſtiana communione privans, quae non longe poſt in ſacris D. Marci aedibus inter Sacrorum ſolemnia approbantibus omnibus firmatur. *Quamobrem ex his, quae ex hac perbrevi hiſtoria excerpſimus, colligitur eam ab auguſto anni 1464. uſque ad aeſtatem anni 1468. deductam fuiſſe. Eodem quoque anno, vel paulo poſt ad hanc hiſtoriam ſcribendam animum appuliſſe Coluccium puto, quum pag. 55 loquatur de hac pace, ac ſi paulo ante indicta a Pontifice fuiſſet. Haec de annorum ſpatio, quo circumſcribitur, deque anno, quo compoſita fuit haec hiſtoria, breviter dicta ſufficiant. Nunc de vita Benedicti Coluccii ediſſeramus.*

BE-

BENEDICTI COLVCCII

V I T A.

B*Enedictus Coluccius, cuius Libellum de* Discordiis Florentinorum *, vel si mavis Italorum nunc primum in lucem producimus, natus est Pistorii Etruriae Urbe, ut ipsemet innuit pag. 42. huius Opusculi, ubi Pistorium* civitatem suam *nuncupat. Quamobrem* Pistoriensis *dicitur non solum in Cod. 260. in 4. Bibliothecae Strozianae, sed etiam in MS. Chart. in 4. amplissimi Marchionis Subdecani Riccardii, in duobus Codd. membr. in 12. Bibl. Mediceo-Laurentianae Plut. XVI. Num. XL, ac Plut. LIIII. Numer. IX, & in Cod. pariter membranaceo Bibliothecae Magliabechianae Class. XXV. Cod. LIV. in 8. Marsilius etiam Ficinus Lib. 1. Epist. XVIII.* Laurentio, & Iuliano Medicibus *missa Benedictum Coluccium* Pistoriensem *appellat. Immo Epist. 84. eiusdem libri*

Co-

Coluccio nostro inscripta; eum Pistoriensem Rhetorem *nominat. Siquidem incipit*: Marsilius Ficinus Benedicto Coluccio Pistoriensi Rhetori. Hortaris, ut in religionis defensione, quemadmodum coepi, assidue pergam. Conabor id quidem pro viribus Benedicte &c. *Praeterea ad calcem suarum Declamationum, quae MSS. extant Plut. LIIII. Cod. IX. Bibl. Mediceo-Laurentianae de iisdem loquens*: Ille, *inquit de Iuliano Mediceo tractans*, orationem subrusticanam in Pistoriensi monte ortam exornabit. *Hinc iure suo Michael Angelus Salvius Tom. III Histor. Pistoriensium Lib. XIX. pag. 79. Benedictum Coluccium inter Scriptores Pistorienses recenset. Nugas tamen agit vir bonus, quum ad annum 1515. eumdem retulit. Nam Benedictus Coluccius floruit aetate Caroli Arretini, Marsilii Ficini, aliorumque Virorum clarissimorum, qui medio circiter seculo decimoquinto Etruriam exornarunt. Genus, ex quo natus est, humile fuit, quod ipse indigitat ad calcem quintae Declamationis MS. in Bibliotheca Laurentiana, ubi Marsilium Ficinum quinque nobilibus iuvenibus, qui orationem habuerant, sic loquentem inducit*: Nos (*auditores scilicet, inter quos una cum Ficino, Politiano, aliisque Coluccius noster aderat*)

hu-

humili loco natos non dedignemini. *Primis Litterarum elementis in patria imbutus quum inter Lazzarum Palandram, aliosque eiusdem Familiae ex Factione Cancelleria contra Panciaticos, eorumque socios magnum certamen initum esset, a parente Florentiam missus est, in qua urbe a Mariotto Bartolino viro egregio exceptus Caroli Marsuppini Senioris vulgo Arretini disciplinae se totum tradidit. Exstat Plut. XVI. Bibl. Mediceo-Laurentianae Numer. XL. Benedicti nostri Opusculum, cui nomen* Lazareus, *in quo Lazzari Palandrae virtutem contra Panciaticos in ea pugna describit, atque* ad generosum Iuvenem Iulianum Medicem *mittit. Ad calcem propemodum huius Opusculi haec de se tradit.* Ego vero in tam gravissimo casu optimi parentis praecepto secessi, idque libentius feci, quod Divum Carolum Arretinum istic Florentiae legentem audiveram. Istuc itaque veniens a Mariotto Bartolino Viro egregio summo cum amore susceptus sum, qui saepe me iuveniliter redire cupientem auctoritate sua retinuit &c. *Haec Coluccius, qui Florentiam venerat adhuc adolescens. Siquidem in eodem* Lazareo *suo postquam dixisset se Florentiam venisse, atque a Mariotto Bartolino fuisse susceptum, haec addit:*

Nam

Nam, ut vera profitear, tantus impetus omnium animos concitarat, ut etiam ipse viribus imbecillis, & adhuc adolescens, atque, ut ille ait, nihilo minus, quam ad arma natus pugnare optaverim *Post primam declamationem Coluccii MS. in Bibl. Mediceo-Laurentiana sequitur Dialogus, ubi Marsilium Ficinum Gymnasii Principem, Carolum Marsuppinum iuniorem, Naldium egregium vatem, Alexandrum Braccium, Angelumque Politianum loquentes inducit, inter quos haec ait Braccius.* Memini admodum adolescens Thimoteum Masseum virum eloquentissimum, cuius hic noster Benedictus in Rhetoricis Carolo vita functo auditor fuit, saepe dixisse nihil Imperio nostro deesse, quod quidem ad magnam pertineat gloriam, nisi quod in nostro regno nullum Gymnasium tanta felicitate dignum existeret, quum praecipue ingenia nostra disciplinae liberalium artium accommodatissima viderentur. Hunc igitur gloriae cumulum Laurentius Medices Patriae attulit &c. *Ex quibus verbis eruitur Benedictum Coluccium post obitum Caroli Marsuppini senioris Thimoteum Maffeum in Rhetoricis audivisse. Obiit Carolus Marsuppinus senior an.* 1453., *ut praeter alios testatur Ioannes Cambius Importunus in Historia*

adhuc inedita, *quae adservatur in Cod. Chart Bibl. Magliabechianae Class. XXV. Cod* 50. *Bartholomaeus Fontius in Annalibus suorum Temporum Msstis in Bibliotheca Riccardiana haec ad annum* 1453. *habet:* Carolus Arretinus Graece, Latineque doctus, ac Florentini Populi Scriba anno aetatis quarto, & quinquagesimo Florentiae moritur. *Quamobrem a mense Aprili anni* 1453., *quo obiit Carolus*, *Coluccius noster a Thimoteo Masseo Rhetoricis praeceptis imbutus fuit*. *Praeter eloquentiam*, *quam ab his duobus clarissimis praeceptoribus hausit Coluccius*, *eisdem acceptam referre debet maximam familiaritatem*, *qua non solum cum Cosma Mediceo*, *Petroque usus est*, *verum etiam cum Laurentio*, *& potissimum cum Iuliano Petri filiis*, *cui in calce declamationum* omnia sua dedicasse *testatus est Quum in tertia declamatione*, *quae MS. exstat in Bibl. Laurentiana*, *retulisset Coluccius gravissimam*, *facetamque Cosmi Medicei sententiam*, *quam Theanensi Cardinali Pii II. Legato in Caregia villa reposuit*, *paulo post Marsilium Ficinum haec dicentem inducit*: Auctoritatem vero illam gravissimam Cosmae clarissimi Viri commode in medium coniecisti. Ego, & Benedictus hic noster milites veterani tali interfuimus orationi &c. *Ita*

at

ut pateat Coluccium nostrum non solum Cosmi Medicei amicitia inclaruisse, sed etiam uti familiarem domesticis negotiis assedisse. Sed iam eloquentiae suae fama per Italiam volitabat, quum Mantuam a clarissimis Viris accitus fuit, quo Pius Secundus Romanorum Pontifex Christianos Principes ad repellendum Turcarum impetum convocaverat. Coluccii verba sunt in Epistola Lazareo *suo praefixa* ad Generosum Iuvenem Iulianum Medicem, *ubi haec habet*: Nam quum Pius Romanorum Pontifex Mantuam profectus Christianorum Principes ad impugnandam Barbarorum immanitatem provocaret, ego illuc a clarissimis Viris accitus in summam aegrotationem deveni: *Conventum Mantuanum habuit Pius Pontifex an.* 1459. *Bartholomaeus Fontius in Annalibus Mstis suorum temporum, qui adservantur in Bibl. Riccardiana Cod. Chart. N.* 11. *XXXIX. fol., quosque Cl. Auctor ab anno* 1448. *ad annum* 1483. *deduxit, ad annum* 1459 *haec habet:* Pius Secundus Pont. Max. Roma Mantuam profectus Concilio habito Christianorum Principum summo omnium consensu de bello adversus Turcos gerendo constituit. *At adversa valetudo, quo Coluccius Mantuae ob aeris intemperiem oppressus fuit, hominem coegit, ut patriam repeteret, ubi*

aestatem paene totam eiusdem anni 1459. *in mala valetudine curanda detrivit*. Itaque (*sequitur idem Coluccius*) in patriam ob aeris intemperiem redire coactus universam fere aestatem in mala valetudine curanda consumpsi. *Tum quia nihil agere turpe esse iudicabat, iuvenili adhuc aetate constitutus animum suum ad scribendum appulit, & quamvis ad alia coactus se contulerit, prisca tamen studia paulo post repetiit.* *Nullus dubito, quin porro plures annos Florentiae transegerit, ubi rerum summa potiebantur Cosmus Mediceus, ac post Cosmae obitum Petrus eius filius, Petrique filii Laurentius, & Iulianus, quibus familiarissime utebatur. In Municipio deinde Collensi Rhetoricae artis praecepta tradidisse arbitror. In Cod.* 260. *Bibl. Strozianae exstat Coluccii oratio ante lectionem Virgilii* habita in Municipio Collensi. *Praeterea in eodem MS. Stroziano legitur alia* Coluccii *Oratio edita* pridie Kalendas Martias 1473. in Municipio Collensi &c. *Sed ad eius Scripta progrediamur.*

BE-

BENEDICTI COLVCCII

SCRIPTA.

I. *I*Nter opera Benedicti Coluccii primum locum sibi vendicat libellus ille, qui Lazareus inscribitur, adservaturque in Cod. membr. in 12. Bibl. Mediceo-Laurentianae Plut. XVI. Num. 40. ita inscriptus cum epistola ad Iulianum Medicem*: Ad generosum iuvenem Iulianum Medicem Benedicti Coluccii Pistoriensis Lazareus incipit. *Initium epistolae huiusmodi est*: Publio Scipioni Pauli, qui Persen vicit, filio summae laudi fuisse accepimus &c. *Multa sunt, quae nobis demonstrant hunc libellum primum Coluccii fetum fuisse. Ait enim se nuper adhuc iuvenem scribendi militiam fuisse aggressum*. Ego vero scribendi militiam nuper aggressus, ac in iuvenili aetate adhuc constitutus Musas nostras, nostramque Thaliam tuo insigni nomini dedicabo &c *Et paulo infra*. stu-

diorum suorum degustationem *hoc opusculum appellat his verbis*: Sed ut degustationem aliquam nostrorum studiorum suscipias, historiunculam de commemorabili pugna in agro nostro gesta ad Te scribendam esse censui &c. *Deinde tradit se incepisse hanc historiam aestate illius anni, quo a Conventu Mantuano redierat, anni scilicet* 1459., *quo Conventum Christianorum Principum Mantuae a Pio Secundo coactum fuisse supra diximus. Coluccii verba sunt*: In patriam ob aeris intemperiem redire coactus universam fere aestatem in mala valetudine curanda consumsi. Tum quia nihil agere turpe esse hominibus ab eximio Oratore nostro didiceram, urbis nostrae initium, discordiarum semina, deinde commemorabilem aetatis nostrae pugnam pro defensione patrum, ac suorum ultione habitam scribere aggressus sum &c. *Opusculum tamen, quod aestate anni* 1459. *incboaverat, post aliquod tempus perfecisse nos edocet paulo infra, ubi ait*: Sed quia intervenere tempora, quae nos ad alia contulerunt, iocundum inceptum consumere nequivimus. Nuper vero quum prisca studia nostra quodammodo reviserem, opusculum hoc in manus nostras deveniens confestim mente, & animo nomi-

ni

ni tuo dedicatum est. Accipies ergo, magnanime Mecenas noster &c. *Historia vero ita incipit*: Vrbem Pistorium condidere initio coloni, qui in Alpibus nostris ligna varie fabricabant. Hi namque loci amoenitate capti in planitie, quae prope radices montium est, oppidum fecere, quod quum natura munitissimum esset, ferreum appellarunt &c. *In hoc Opusculo enarrat Coluccius Vrbis Pistoriensis initium, discordiarum semina, deinde commemorabilem aetatis suae pugnam inter Lazarum Palandram, aliosque eiusdem Familiae contra Panciaticos.*

II. *Pollicitus erat Coluccius se scripturum bellum illud triginta mensium, quod Florentini cum Pistoriensibus gessere. Benedicti verba sunt in* Lazareo *suo*: A vobis vero (*Florentinis*) bellum susceptum est, ac tandem post XXX. menses foedus cum Riccardo Cancellerio initum, de cuius conditionibus, aliisque quum de hoc funesto bello carptim scribere aggrediar, aperire commodius potero &c. *Sed me latet, an bellum hoc, quod se scripturum promiserat, aggressus unquam sit.*

III. Benedicti Coluccii Pistoriensis de discordiis Florentinorum liber. *Initium huiusce historiae, quae nunc luce publica donatur, huiusmodi est*. Soleo non

mediocri dolore eorum perversa ingenia admirari, qui mortalium vitam per se satis miseram improbis consiliis persequuntur &c. *Vide supra pag. 1. seq.*

IV. Oratio Benedicti Coluccii ad Ducem Calabriae. *Adservatur in Cod. Chart. in 4 amplissimi Marchionis Gabrielis Riccardii Subdecani Florentini. Quo vero consilio composita, quove anno a Coluccio habita fuerit, elucet ex his, quae sequuntur. Ait enim inter alia :* Siquidem in tam iuvenili aetate ad defendendam huius Florentissimi Populi libertatem contra fortissimos hostes te ipsum summis equitum, peditumque copiis contulisti &c. *Et paulo infra* : Tu vero, illustrissime Princeps, hanc egregiam urbem invicta dextra tutari voluisti Regnis tuis sanctissimo foedere coniunctissimam, ac enixus es defendere huius Magnanimi Petri dignitatem, cuius clarissimus Pater Cosma paternae, avitaeque Maiestati gratissimus, ac fidissimus exstiterat. Quamobrem, illustrissime Princeps, omnes qui sapiunt, te Alphonso avo, ac Ferdinando genitori potentissimis Regibus, ac bellicis laudibus praestantissimis simillimum fore &c. Ex *his colligitur hunc Calabriae Ducem esse Alphonsum Ferdinandi Regis filium, qui mense Iulio anni 1465. Hippolytam Francisci Sfortiae filiam*

liam uxorem duxit, *ut praeter Bartholomaeum Fontium in Annalibus MSS*, *&* *Matthiam Palmerium in Chronico ad annum* 1465, *testatur Balthasar Rasinus in oratione*, *seu potius Libello* de celeberrimis Francisci Sfortiae Vicecomitis invictissimi Ligurum Ducis laudibus *MS. in Bibl. Mediceo-Laurentiana Plut. XIII. Cod. XIV. membr in* 4. *Cap. IV. Praeterea dicta est anno* 1468, *tum quum compositis per Summum Pontificem Italiae rebus Florentiam venit Alphonsus Dux*, *ut ludos spectaret*, *quod pag.* 64. *huius Historiae narrat Coluccius*. *De eisdem ludis haec ad annum* 1468. *in Annalibus MSS. habet Fontius*. Pace inter Venetos, Ferrandumque Regem, & Galeatium Mariam Sfortiam, & Florentinos constituta Ludi equestres Florentiae Regio apparatu facti sunt. *Ego vero arbitror Petri Medicei iussu Coluccium nostrum respondisse hac oratione alteri facundissimae*, *qua idem Coluccius pag.* 64 *huius Historiae testatur functum fuisse inclytum Ducem*, *obtestatumque* patris Regis, ac suo nomine se perpetuo Florentini Imperii defensorem &c.

V. Ad Magnificum Virum Iulianum Mediceen Benedicti Pistoriensis declamationum liber incipit. *Harum memi-*

minit Marsilius Ficinus in Epistola scripta Laurentio, & Iuliano Medicibus *Lib.* 1. *Epist.* 18. *his verbis* : Accipite laeto animo, Medices, Naldi Florentini Poema, & Benedicti Coluccii Pistoriensis Declamationes. Alter est Phoebi deliciae, alter Mercurii comes. Non libet eos parce laudare, quum videantur supra modum esse laudandi &c. *Exstant hae declamationes in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Plut: LIIII Cod: IX membranaceo in* 12. *Fingit Benedictus Coluccius has quinque declamationes habitas fuisse in Gymnasio Marsilii Ficini tribus illis diebus, quibus Christi natalitia celebrantur, a quinque praestantibus ex nobilitate Florentina iuvenibus coram Naldo Naldio, Alexandro Braccio, Angelo Politiano, ac Nicholao Michelotio, quem forte una cum Mariano Pistoriensi apud Ficinum ipse convenerat. Iuvenum nomina haec sunt: Paulus Antonius videlicet Soderinus, Ioannes Cavalcantes, Bindaccius Ricasolanus, Franciscus Berlingherius iunior, & Carolus Marsuppinus iunior, qui in his declamationibus hortantur Summum Pontificem, Italicos Principes, ac Senatus ad suscipienda arma contra Turcarum immanitatem. Quo vero anno has declamationes composuerit Coluccius, erui potest ex*

non-

nonnullis, quae in illis passim enarrantur. Initium epistolae, qua hunc Declamationum libellum ad magnificum virum Iulianum Medicem *mittit, huiusmodi est*: Quum esses admodum adolescens P. Scipioni Pauli, qui Persen vicit, filio te, Iuliane Medices, non temere, aut paternae fortunae alludens simillimum fore iudicavi &c. *Haec spectant ad Epistolam, qua* Lazareum *suum Iuliano Medici iampridem nuncupaverat Coluccius, quaeque incipit:* Publio Scipioni Pauli, qui Persen vicit, filio &c. *Vide supra pag. XXI. seqq. Quamobrem post* Lazareum, *idest post an.* 1459. *has declamationes composuit Coluccius. Siquidem in Epistola* Lazareo *praefixa Iulianum Medicem* generosum iuvenem *vocat. In hac vero Declamationibus praemissa eumdem Iulianum* magnificum virum, & adultum *appellat. Praeterea in secunda Declamatione ad Ferdinandum Regem haec leguntur*: Magna quidem beneficia in nostram Rempublicam contulisti, praecipue vero quum Primogenitum tuum inclytum Calabriae Ducem ad repellendum ex Etruria, & Flaminia Bartholomaeum Bergamensem cum validissimis copiis equitum, ac peditum venire iussisti &c. *Alphonsi Regis Ferdinandi Filii Calabriae Ducis in Etruriam adventus*

me-

memoratur in hoc de discordiis Florentinorum *Libello pag.* 36. *seqq. In quarta vero ad Galeazum Sfortiam*: Vix enim, *inquit*, dignis pro paterno interitu effusis lachrymis dimisso Regno tuo non ad nos tutandos venisti, sed advolasti: vibrantem gladium invictissimum, & tota Italia venerandum hostibus ostendisti &c. *Id ipsum narrat Benedictus Coluccius pag.* 41 *seq. huius Historiae. Itaque post Opusculum de* Florentinorum discordiis, *id est post annum* 1468. *has declamationes elucubravit Coluccius In declamatione autem prima ad Sixtum Quartum meminit Euboici excidii, quod a Turcis Venetae Reip. illatum est. Verba Coluccii haec sunt :* Nuper vero cum Venetis ab eodem Imperatore strenue decertatum est. In eo autem lugubri bello amplissimus Italiae Senatus nullo impar Rege, aut Duce tantum dignitatis, ac nominis amisit, ut si procul ab improba invidia esse volumus, Chalcidica, & Euboica calamitate universam Italiam dedecore affectam profitendum videatur &c. *In quarta declamatione eamdem cladem commemorat, quam Bartholomaeus Fontius in Annalibus MSS. suorum temporum ad an.* 1470. *refert his verbis:* Euboea insula, Chalcisque, quam hodie Nigropontum vocant,

cant, a Turcis capta est, & in omnem sexum, aetatemque saevitum &c. *In Dialogo post primam declamationem memorat Naldus Naldius Volaterranorum defectionem, quae in quinta declamatione rursus ob oculos ponitur his verbis*: Sed paucis ante annis quibus consiliis Volaterranorum conatibus nostrum imperium obstitisset, nisi Laurentius Medices, qui gradibus aureis ad immortalitatem proficiscitur, gravissima discrimina a nobis auctoritate, & opibus amovisset? &c. *Et plura, quae de eadem re porro subnectit. At Volaterranorum defectio incidit in annum* 1472., *ut testatur Benedictus Dei in Historia hactenus inedita, atque ab an.* 1400. *ad annum* 1492 *deducta, quae MS. adservatur in Bibl. Magliabechiana Class. XXV. Cod. Chart. LX. fol. Fontius in Annalibus MSS. suorum temporum ad annum* 1472. Volaterrani (*ait*) a Florentinis quum defecissent, quinto & vigesimo die, ex quo obsessi sunt, vrbem dedidere. Sed in ipsa deditione irruptione militum facta invitis nobis direpti sunt Friderico Vrbinate militiae nostrae Duce, qui per haec ipsa tempora nobilem Bibliothecam paravit, Vrbinumque novis, ac pulchris aedificiis exornavit. *In Dialogo post primam declamationem ita loqui-*

tur

tur Alexander Braccius de Pisano Lyceo ut nuper instituto a Laurentio Mediceo: Quid de Gymnasio dicemus Pisis nunc constituto? *&c. Fontius in Annalibus MSS. suorum temporum haec ad annum* 1472. *adnotat*: Florentini Gymnasium omnium liberalium artium exquisitis doctissimis Professoribus Pisis constituunt &c. *Ex quibus constat post annum* 1472., *anno scilicet* 1473. *has declamationes a Coluccio compositas fuisse. Hoc evidentius constat ex calce eiusdem Dialogi, ubi de Laurentio Mediceo haec ait Angelus Politianus:* Nam quis non admiretur virum sextum, & vigesimum annum agentem tantae Reipublicae praeesse &c. *Vigesimus sextus Laurentii Medicei annus incidit in annum* 1473., *quum natus esset ineunte* 1448., *ut in Laurentii vita testatur Nicholaus Valorius. His declamationibus an.* 1473. *compositis praefixit Coluccius epistolam nuncupatoriam ad* Iulianum Medicem, *quae ita incipit:* Ad magnificum Virum Iulianum Medicem Benedicti Pistoriensis declamationum liber incipit. Quum esses admodum adolescens *&c. Vide supra pag. XXVII. Inde sequuntur quinque declamationes hoc ordine:*

Prima: Ad sanctitatem Sixti IIII. Pontificis Maximi Christianorum Be-

ne-

nedicti Coluccii Pistoriensis declamatio incipit. Cavalcantes loquitur. Multa me ab hac prima declamatione dehortarentur Beatissime Pater &c. *In Cod.* 260. *in* 4. *Bibl. Strozianae reperitur:* Ad Christianorum Pontif. Max. Sixtum Quartum Benedicti Coluccii Pistoriensis Proclamatio prima incipit. Non est exordiendi tempus, Beatissime Pater, non Beatitudinem tuam laudandi &c *Monuit me Ioannes Baptista Dei Vir nostrarum historiarum peritissimus adnotari in margine Cod. Stroziani:* Vacat haec tota sequens oratio, quia alibi scripta est, & sententia retractata. *Quod ita se habet. Namque Stroziana, & Laurentiana declamatio ad Sixtum IV. una, eademque est, ut ex fine potissimum constat. Laurentianus tamen MS. eamdem exhibet retractatam, ideoque ampliorem, melioremque ea, quam habet Strozianus. Ad calcem apographi Stroziani legitur:* Edita est haec oratiuncula a me Benedicto Coluccio Pistoriensi pridie Kal. Martias 1473. in Municipio Collensi. *Vides an.* 1473. *a nobis supra indicatum.*

Secunda: Ad Maiestatem Ferdinandi invictissimi Latinorum Regis Benedicti Coluccii Pistoriensis declamatio incipit. Bindaccius (*scilicet Ricasolanus*) lo-

loquitur. Inclyta virtus, Rex Christianissime, atque potentissime &c.

Tertia: Ad clarissimum Venetorum Senatum Benedicti Coluccii Pistoriensis declamatio incipit. Paulus Antonius Sodorinus loquitur. Quamquam in omni laudis genere in Terra plurimum Quirites valuerunt &c.

Quarta: Ad invictissimum Principem Galeaz Sfortiam Insubrum, & Gianuensium Ducem eiusdem Benedicti declamatio incipit. Berlingherius loquitur. Quantum nobis facundiae, & dignitatis, Dux felicissime, esset optandum &c. *Hic est Franciscus Berlingherius natu iunior, quem* iuvenem solertissimum, ac Musarum amicissimum *Coluccius appellat pag.* 63. *huius Opusculi.*

Quinta: Ad Felicissimum Florentinorum Senatum eiusdem Benedicti Declamatio incipit: Marsuppinus loquitur. Divino Numine mihi contigisse censeo, ut apud colendissimum Populum oratio mea non apparata quidem &c.

VI. Oratio Benedicti Coluccii ante Lectionem Virgilii habita in Municipio Collensi. *Initium est*: Etsi omnia Maronis dicta summo artificio abundant; in hac tamen &c.

BE-

BENEDICTI COLVCCII
PISTORIENSIS
DE DISCORDIIS
FLORENTINORVM
LIBER.

Oleo non mediocri dolore eorum perverſa ingenia admirari, qui mortalium vitam per ſe ſatis miſeram improbis conſiliis perſequuntur. Nam ſatius eſſet, ac longe natura noſtra dignius fovere hominem innumeris caſibus, ac poſtremo morti de-

bentem, quam & fata eius properando, & adversae favendo fortunae humana tormenta graviora efficere. Quippe quum ceteris animantibus praestantiores illa veluti mancipia teneamus, generositatem deinde nostram potissimum dedecorantes brutis vilissimis servis longe deteriores existunt, qui genus suum natura simile, ac sociabile perdidisse laetantur. Quinetiam, uti apud Ciceronem legimus, plures hominum impetu, quam ferarum mortales cadunt. Quo quid crudelius? Quid nobis divinis muneribus praeditis indignius? Quid denique in Deos Immortales gravius fieri, aut excogitari potest? Etenim quum animus noster Divinitatis particeps Immortalium consilia, atque praecepta pro posse colere, atque aemulari debeat, incomprehensibili quispiam errore captus in hominem ab Auctore maximo nobis tanquam vitae socium, ac praesidii comitem elargitum contra omne fas, piumque inrumpere audet? Nemo vero etiam ex nostra mortalitate opus suum perditum iri pateretur. Semper igitur doctorum hominum iudicium fuit multorum fragilitatis nostrae scelerum Divinam clementiam facillime misereri, nec omnia meminisse, quae naturae agilitate saepe commisimus, si ea praesertim contra viventis Dei praecepta

exſtitiſſe gravi dolore afficimur. At ſiquis ferro humanam ſocietatem, aut aliquo crudeli impetu violare auſus eſt, hunc difficillimum veniae iter habiturum, quum praecipue non ſolum ratio, ſermoque communis, ſed omnia divina praecepta ad mutuam caritatem nos devincire potiſſimum videantur. Pium vero hominem, ſalutique communi conſulentem quis noſtrûm Deo ſimillimum non aeſtimet? Quum Gentilium Philoſophorum ſcholae praedicent diffinitum illi eſſe in Caelis locum, quo ſempiterno aevo beatiſſime perfruatur. Sed quoniam res officioſe geſtae, uti Salluſtio auctore didicimus, ſaepiſſime mortalium pectora incendere potuerunt, non fuit conſilium ſilentio praeterire memorabile clementiae facinus, quod a Petro Medice Coſmae filio his turbulentiſſimis temporibus patratum eſt, qui quum atrociſſimos hoſtes manu teneret, inviolatos abire permiſit, ac in maximo omnium diſcrimine magis crudelitatis crimen, quam ab illis machinatam ſibi, ſuiſque caedem extimuit. Verum quia civilibus diſcordiis potentiſſimae urbes ſaepiſſime corruerunt, pericula graviſſima ab illis nuper orta in univerſa Italia, ac paene Terrarum Orbe complectar. Nam ab initio opportune odiorum orſus, ac paucis

quaecumque Florentiae memoratu digna acciderint, repetens, grave bellum, sed graviorem apparatum Latinorum Principum describere aggrediar. Quam quidem rem plurimum mortalibus profuturam fore iudico. Quippe advertentes parva discordiarum alimenta facem quammaximam in Italia incendisse, animos cohibere summa ope nitentur, ne tam grandia pericula subeant. Consilia quoque saluberrima, quibus excidio Latinorum obviatum est, docili mortalitati nostrae suppeditare perpetuo poterunt. Quippe si animis nondum odia exciderunt, aevoque nostro grave omnino bellum minitatur; haec tamen pax summa sapientia clarissimorum virorum parta miseram Italiam, cuius vires diuturna mala attriverant, a funesto interitu revocavit. Cuius quidem rei magnanimus Medices praecipuus auctor exstitit, qui pacem honestis conditionibus omnibus rebus potiorem fore existimat. Hunc profecto talem Virum si quis odio, & livore prosequitur, is non intelligit, quantum stabilitatis mortalitati nostrae afferat vita unius saluti magis publicae, quam suae optime consulentis. Sed alias de virtute eius. Nunc ad inceptum redeo.

Huius belli, quod scripturi sumus, civi-

civiliumque discordiarum iampridem semina concepta animis fuerant. Sed vivente Cosmo Medice, ac gravissima auctoritate sua pacem suadente quisque aliter pectore sentiens vultu mentis sententiam dissimulare, ac oratione nitebatur. Siquidem plerisque mortalibus multis annis antea Ferdinandi Alphonsi potentissimi Regis filii Regnum, Francisci Sfortiae Principatus, Cosmae quoque dignitas invisa exstiterant. Hi ubi Virum ingenii, atque fortunae opibus praestantissimum discessisse cognovere, Florentinae rati urbis conditionem suis consiliis immutare, illorum imperium deinde facilius evertere posse censebant. Ad hoc accedebat Petri Cosmae Filii adversa valitudo sic eum opprimens, ut multis corporis rarius muneribus fungi posset. Odia namque sic illis mentem eripuere, ut non meminerint parentem Cosmam animo magis ea, quibus gloriam est assequutus, quam corpore gessisse. Sed hic locus me tanti Viri vitam, moresque describere hortaretur, ni viribus meis potissimum diffidissem. Quippe tam ingens huius Viri virtus exstitit, ut melius sit de ea silere, quam pauca loqui; uti Crispus de Karthagine sentiebat. Verum enim de morte eius memo-

ratu dignissima minime tacendum esse iudicavi, quum praesertim pauci reperti sint, quorum felicibus natalitiis vita beata, atque fortunata mors respondere valuerit. Hic vero florentissima patria, nobili genere, honestis opibus oriundus non solum familiae suae, sed universae civitati, ac nostro Latino nomini plurimum gloriae virtute sua adiunxit. Siquidem nonnullae exterae gentes, quas rerum nostrarum memoria, uti saepe evenit nostrae mortalitati, effugerat, huius virtutem admirantes quaecumque memoratu digna in nostris sunt, agnovere. Magnificentia vero ineffabilis opibus eius effusa Templorum, ac Palatiorum mole ubique facillime declaratur. Sed communis quoque exitus felicissimus exstitit. Nam postquam summa cum dignitate, ac gloria annis senuit, non gravi morbo captus, sed uti aetate consumptus, finemque vitae prope esse cognoscens omnes cives praestantiores, quibus praecipue Reipublicae cura fuerat, ad praedia sua amoenissima, quae duobus millibus passuum ab urbe distant, una accedere est cohortatus. Nam antea saepe quum illuc iocunditatis gratia secessisset, diversa multitudo consulendi, aut salutandi causa ad eum venire consueverat. Eo igitur

tur die delecta Reipublicae tantum pignora convenerunt. Magnanimus vero Medices primum de Republica differens multa edocumenta divine aperuit. Deinde gravi functus oratione pacem Italiae, civitatisque concordiam sic cohortatus est, ut nihil potius, atque salubrius esse patuerit. Ferunt quippe eo die tantam Medicis dicendi facundiam exstitisse, ut vitam sibi plerique optaverint, quibus antea livore captis mors gratissima exstitisset. Dimissis vero civibus Petrum filium secum retinens ei primum praecepit, ne ulla pompa funus procedere pateretur, ac corpus humi condi iussit in Divi Laurentii Templo, quod magnificentissimis sumptibus ab illo apparatum fuisse constat. Cetera, quae tantus parens tanto filio recensuerit, haud satis mortalibus compertum est. Petrus lachrymans paulo post Florentiam se deferri praecepit, ibique parentem defunctum illius, ut creditur, mandato cunctatus est. Cosmam vero convocatis religiosissimis, ac sanctissimis viris dixisse ferunt: quicquid ad Rempublicam spectat, atque ad mortales quaecumque pertinent, quantum nostro humano potuit fieri consilio, statuimus. Posthac nemo mortalia commemoret. Quod vitae restat,

alteri saeculo adscribatur. Tum sic divine divina commemorasse, ut qui aderant, non politicum, sed penitus metaphysicis illum fertilissimum iudicaverint. In his sermonibus mediis vir, si quisquam fuit, immortalitate dignissimus e vita migravit. Corpus eius sine magnifico apparatu ad urbem a sanctissimis viris delatum, ac deinde honestissimo procedente funere, uti praeceperat, humi conditum est. Sed memoratu dignum fuit omnes mortales, qui Florentiae aderant, tanto ardore ad honestandas exequias convenisse, ut vere hominem raro mortalitati nostrae concessum sepeliri patuerit. Ex proximis quoque civitatibus, ac Municipiis Legati venere, ut more nobilium pompam funeris decorarent, qui ubi praeceptum eius audivere, effusis lachrymis interesse funeri voluerunt. Multi quoque ex remotiori loco properantes ubi sero venere, in Divi Laurentii Templo urbis suae patronum summa moestitia lugebant. Quin etiam omnes cives livore extincto communem parentem Cosmam fuisse fatebantur. Postea vero in Senatu consultum est, qui honores tanto Viro statui possent. Fuere qui consulerent nummos aureos machinari Cosmae imaginem referentes. Alii item

ae-

aeneam ſtatuam ſibi in Foro condi, uti Romae magnis viris ſolitum fuerat. Sed demum ſancitum eſt, ut Coſmas Medices Pater Patriae edicto publico appellaretur, quod parenti noſtro Ciceroni contigiſſe accepimus Donati Azaroli facundiſſima exſtat oratio, in qua quidem virtuti Medicis hoc elegantiſſime reſpondiſſe confirmat. Hic eſt exitus Viri aetate noſtra clariſſimi, quem poſteri admirantes maiori laude, clarioribuſque praeconiis complectentur. Sed nunc ad rem ipſam redeo.

Poſt Coſmae obitum omnes, qui Neapolitano Regi, ac Mediolanenſium Principi invidebant, urbem Florentiam ſuſpectam reddere conabantur. Nunc ſiquidem gravia bella inſtare: nunc civibus onera impendere grandia praedicabant. Horum ductores erant Angelus Azarolus, ac Dietiſalvi Neronis filius clariſſimi ea tempeſtate Equites. Hi deinde ſibi diffidentes Lucam Pictium militaribus muneribus inſignem ſic commovere, ut unus Coſmae fidiſſimus Petro filio inimiciſſimus redderetur. Sed gravi animo Medices ferebat eos ideo civitatem diſcidiis exagitare, ut ſibi tutius adverſarentur, quos paterna beneficia magnos, atque claros confecerant. Quippe Pictium Equitem Coſmae dignitas adeo extulit,

ut

ut post eum primarius Florentinae urbis haberetur. Angelus vero, ac Neronius uti parenti optimo Cosmae ob summa merita debebantur. Alter etenim fere adolescens ad amplissimos magistratus, ac ad ingentes opes dextera Medicis fuerat delatus: alter vero multis civibus suspectus, ac deinde in Graeciam relegatus post Cosmae reditum auctoritate sua munitus non modo urbe non caruit, sed plerosque Azarolis adversantes urbe ipse expulit. Ceteri quoque cives ab his vexati cuncti fere singulari Medicis officio debebant. Nam nemo vir ingenuus in hac conspiratione fuit, qui de imperio Florentino cum Cosma penitus non sensisset. Sed discedere a Venetis, & adhaerere Francisco Sfortiae Mediolanensium bello eiusdem regiminis viros mente diversos egit, quos deinde huius Principis cum Ferdinando Neapolitano Rege affinitas, & civitatis Florentiae foedus vehementius agitarunt. Sed eos, ut initio diximus, unius auctoritas retinebat, quod quidem illo vita functo maiores in civitate motus excitare videbatur. Quippe libero ore quid animo quisque sentiebat, palam ubique ferebatur, ac in duas sententias urbe divisa pauci a seditionibus aberant. Sed Petrus Medi-

ces

ces inter funebres lachrymas quemque ad se proficiscentem a tali incepto revocare nitebatur. Ferunt namque prae ceteris omnes Nerones saepissime monuisse, ne ea conarentur, quae domui suae tam Cosmae gratissimae perniciem, ac excidium parare procul dubio valerent. Ceterum iisdem temporibus ingens iactura in Florentina Republica exstitit. Nam multi negociatores aere alieno obnoxii fide caruerunt, quod ubi tam in urbe Florentia, quam apud externos cognitum est, quisque fere pecunias Florentinis creditas postulabat. Sed nec sine magnae pecuniae copia creditoribus satisfieri potuit, nec omnes in sententia perstitere, ut mallent publicum, & suum servare decus, quam aeris alieni deceptores haberi. Plerique igitur urbe abientes summis angustiis eos affecere, qui rem suam illis uti fidis mortalibus crediderant. Haec res omnes urbes commovit, in quibus Florentini cives negocio uterentur. Nam quisque onus suum exagitans sive fidem servare, sive eo loco uti fugitivus abire nitebantur. Demum confectum est, ut pecuniae quampaucis mortalibus crederentur. Artes praeterea, quibus manuum opere plebs, ac multitudo victum sibi parare consuevit, pro-

pter

pter hunc metum paene ubique defecerant. Ex quo ingens miseria egentibus evenit. Sed tum latissime patuit acerbissimos mortalibus casus volventibus quanta virtus in uno Cosma Medice exstitisset. Quippe non seditio, non bella, non cuiusvis rei penuria tali viro vivente, uti ille cum Immortalibus sentiret, accidere potuerunt. Tanti vero Viri interitu minime paene fieri potuit, quin non modo Florentissima civitas, sed universa Italia aliquid dignitatis suae amitteret. Quod quidem Gentilis vates, atque plerique alii ingenio, & doctrina praestantes eleganti carmine complexi sunt. Vulgus quoque ignobilis, ac claris viris invidens almum parentem suum decessisse cognovit. His igitur malis undique insequentibus Florentia discordiis civilibus aestuabat. Itaque nihil consilii publice, parum vero privatim capi poterat. Sed Lucas Pictius in dies maior habebatur. Quippe Petrus dissimilis moribus nec sibi, nec aliis indulgebat. Sontes uti faces execrabiles arcere, nemini blandiri, maledicta in se aequo animo pati. E contra Pictius non modo suas, sed amicorum quoque contumelias ulcisci, omnibus assentari, improbis asyli loco esse. Medicem vero plerique deserentes ad Pictium his

de

de causis se contulerunt, quorum frequentia multum audaciae attulit. Sed praecipua discidia erant, quum Priores civitatis crearentur. Nam quisque suis favens agnatum, aut amicum exigebat. Quum igitur kalendis Septembris anno Christi Salutiferae Nativitatis MCCCCLXV. Nicolaus Cerretanus Medici fidissimus Vexillum populi assumpsisset multis competitoribus, sed praesertim Neronio Equite aegre tolerantibus, omnibus bonis civibus placuit, ut deinceps Magistratus sorte ducerentur, ne graviora vulnera Respublica persentiret. Huic rei Pictius non repugnavit, ne cum popularibus id maxime postulantibus dissentire videretur. Sed quarto kalendas Novembris Nicolaus Soderinus primus Vexillifer sorte ducitur, cuius quidem Magistratus summam pacis spem civitati attulit. Nam ea tempestate talis vir integerrimus habebatur. Is kalendis Novembris summo Populi applausu Magistratum iniens principio quaedam salubria consuluit, onera vectigalia impendentibus imminuit. Cohortatus quoque cives ad capessendam derelictam Rempublicam facundis orationibus pectora mortalium vehementissime commovit. Sed nihil sibi gloriosius fuit, quam ingenti aperire animo multorum civium intoleranda facinora

nora, quibus & aerarium, & privatorum aedes miserrime laceraran . Haec res Pictio, ac plerisque sibi faventibus tanto periculo fuit, ut si tum Medices viribus suis uti voluisset, urbe illi abire facile cogerentur. Sed quo consilio, haud compertum habeo, Soderinus mentem extemplo mutaverit. Nam alii virum egregium privata iniuria nimium vexatum fuisse asserunt, quod quidam Comites Petro affinitate coniuncti illi adversantes fragile solum sibi concedere recusaverant. Nonnullorum sententia est illum excogitasse Medice everso Pictium facile casurum. Sic duobus potentibus viris avulsis se primarium fore. Nos eam rem in medium relinquamus. Satis est post paucos dies immutata mente Soderinum contra omnium opinionem mortalium Pictio adhaesisse, quod quidem Medici, plusquam cuiquam credibile est, molestissimum fuit, non quod eum metueret iam antea clarissimorum civium praesidio munitus, sed quia nemo fere Thoma Equite huius fratre sibi gratior ampliore fide fuerat, & ipse in paterno reditu tam aperte alteram factionem impugnaverat, ut ex tunc magni vir animi fuerit perpetuo habitus. Praeterea talem virum popularibus gratum, ac vitae integerrimum secum esse

cu-

cupiebat. Neque haec sententia Medicis obscura fuit. Nam & per fratrem, & per multos amicos Soderinum vehementissime monuit, ne innocentiam suam, cum sontibus communicans se, & filios perditum iret. Sed post eum diem Soderinus haud satis mente valuit: Nam omissis Reipublicae necessariis novam Magistratuum reformationem reficere conatus est, in qua quidem re reliquo consumpto tempore in fine Magistratus sui a populo postulavit, ut militaribus muneribus donaretur. Id paucis antea annis Lucae Pictio invitis forte animis concessum fuerat. Sed aperte repugnantibus Medicis amicis, ac Pictia factione irridente minime id assecutus est. Tum uti derisus domum concessit, ibique dolore confectus & Medici, & Pictio Magistratum suum parum gratum fuisse cognovit. Ferunt Gerium eius filium virum doctissimum, & si quisquam fuit, paterna luentem saepe patrem rogasse, ut a Pictio deficeret, ac ne innocuo Medici adversaretur, quum is Pictio praecipue fide praestaret. Sed ille veluti sponte tuens inexorabiles omnibus aures perpetuo reddidit. Hic Soderini Magistratus apertius urbem seditionibus agitavit. Nam cives chirographo, ac iureiurando utrique factioni adscripti

sunt

ſunt. Multi praeterea pecuniae ingentem copiam polliciti, uti poſtea compertum eſt, externos ſic commovere, ut univerſa Italia contremuerit. Sexto idus Martii Franciſcus Sfortia Ianuae, ac Mediolanenſium Princeps e vita migravit. Eius filius Galeazus maior natu cum praeſidiis in Galliam Tranſalpinam profectus fuerat. Nam ea tempeſtate Rex Gallorum cum Regalibus, & Proceribus ſuis diſſentiebat. Is igitur a Rege ob mortem paternam dimiſſus parva militum manu ſine ullo diſcrimine conctis admirantibus rediit, conſervatumque a Genitrice muliere clariſſima Principatum Ianuae, ac Mediolani nemine recuſante eſt adſecutus. Sed Pictiorum factio uti Franciſci Sfortiae Ducis interitu gaudio aeſtuabat, ſic Galeazi felici auſpicio indoluit. Legati ad condolendum de morte Principis miſſi fuerant Bernardus Iunius, ac Luigius Guicciardinus ſtrenui Equites, cum quibus Blanca Princeps Ducis quondam coniux de pecuniis filio credendis Principatus initio agere coepit. Hi Florentiam ad Magiſtratus litteras miſere, quibus declarabatur, quae ab eis cum Principe tractarentur. Sed res opportuna videbatur, ut Blanchae Duci pecuniae traderentur, quum illa

Flo-

Florentino imperio semper favisset, eiusque coniux moriens omnia sua Florentinorum fidei, quos fratres sibi esse dicebat, piissime commendasset. Sed quum Senatus pro tempore haberi non posset, primates urbis in publicum Palatium convocati quid Legatis respondendum esset, consuluerunt. Omnium ore sententia fuit, ut Legati XL. millia Florenorum Duci promitterent. Iannotius Pictius, ac Dietisalvi Neronis Equites delecti litteras id recensentes per Populi Cancellarium ediderunt. Sed postea convocato Senatu late patuit mentem verbis non respondere. Nam numquam obtineri potuit, ut per Legatos, & tales viros promissa servarentur. Petrus Medices & publica, & sua benivolentia fretus pecunias promissas ex patrimonio suo ad Principem misit. Haec res non parum Pictios perterrebat, quum unius viri tanta munificentia appareret. Arctius igitur & ipsi cum Italicis Principibus aliter sentientibus res suas agitare coeperunt. Sed interea odia acerbissima dissimulare plerique conabantur, pacemque, ac concordiam suadentes a Medice postulabant, ut pars Senatus, quae centum virorum cognominata est, amoveretur, in qua quidem Medicis amici plurimum praevalebant. Erant in eo

ordine omnes cives, qui post Cosmae reditum vexillum iustitiae, populique tulerant, quorumque patres, & avi eo summo Magistratu functi post ea tempora fuissent. Prope idus Augusti Lucas Pictius, Dietisalvi Neronis, Angelus Azarolus ad Medicem magna comitante caterva contendunt, ibique de civili concordia magnifice praedicatur. Petrus nihil minus, quam arma, & seditiones cupiens tam aperte pacem, quietemque affectare se se aperuit, ut nonnulli improbi cives eum metuere rati incoepta audacius sequerentur. Septimo Kalendas septembris Neronius, ac Angelus Equites ad Petri aedes profecti eum ad praedia sua tendere hortantur, dum Priorum novus Magistratus forte duceretur, idemque Pictium, seque facturos esse promittunt. Fertur eo die Neronium Equitem Petrum suo, & Angeli nomine osculatum iureiurando obtestatum fuisse sine suo consensu nihil quemquam in urbe moliturum fore, datisque dexteris civilem, communemque concordiam promisisse.

Medices haud fallere solitus id ex imo pectore dici existimans postridie amoenissima praedia sua petiit. Nam recreare invalidum corpus podagris, ac his sedi-

seditionibus defatigatum cupiebat. Quidam cives in foro profectionem suam irridentes auditi fuere se se iactasse propediem itineris sui Medicem paenitere. In agro vero Mutinensi, ac Ferrariensi magna Equitum, ac peditum manus collecta primates Bononiae perterruit, ne altera factio vim parasset. Mox exploratores rediere affirmantes eam multitudinem ad expellendum Medicem contendere. Tum Bononienses periculum sibi quoque rati ad Priores libertatis Florentinae litteras citatis cursoribus misere, quibus & apparatum, ac verba iactantia retulerunt. Priores ea tempestate inter se dissentientes nihil publice constituunt, sed quisque suis favens rem aperuit. Eodem fere tempore Nicodemus Vir Mediolanensium Principi fidissimus ad Medicem cucurrit, narratque prope Ferrariensium montes innumeros esse pedites omni telorum genere armatos Florentiae minitantes. Raphael quoque Pistoriensis Bononia profectus idem confirmans ad rura Medicis advolavit duobus praecipens filiis, uti omnes per nostrum agrum amicos Cancelleriae Factioni colligentes Florentiam contendant. Quidam etiam negociatores Ferrariae milites quosdam dixisse nuntiant Petrum cum Pi-

ctiodiffentire, ac Herculem Mutinae Ducem Pictio equites, ac pedites in auxilium mittere. Adeo Immortales innocentiae favebant, ut ex tot locis Medices vim sibi parari uno fere momento perceperit. Interea Eques Pictius undique affinitate, & amicitia fibi coniunctos domi collegerat. Idem quoque fecerat Eques Neronis, ac Angelus Azarolus. Soderinus etiam, ac magna civium pars arma fumferat. Sed qui Medici favebant, pars domum in urbe, alii vero ad praedia fua contendunt. Petrus ubi tam repentino cafu, tamque inopinis infidiis fe fe agitari cognovit, ut quamprimum ad urbem eum deferant, monet, atque hortatur, quod inimici audientes vehementer perterriti funt. Siquidem exiftimabant illum metu, & pavore captum Bononiam, ac poftea Mediolanum profecturum fore. Sed Petrus Pompeii cafus minime oblitus fuerat, qui fi Romae manfiffet, victor procul dubio exftitiffet. Poftquam igitur Medices Florentiam eft delatus, concurfus ad eum nobiliffimorum civium factus eft. Multi quoque populares, quibus Soderinus praecipue confidebat, ad Petrum armati profecti funt. Martelli, ac vatis Karoli filii, & ceteri Medicis aedibus finitimi domos fuas omni
te-

telorum genere complent. Palatium vero ipsius sic institutum est, ut difficillime expugnari posse videretur. Tota vero nocte, quae Iovis diem anteibat, ex urbibus, ac municipiis Florentiam curritur. Plerique vero cives magno pavore perciti non secus, ac aries murum feriret, domus suas observabant. Iovis die, qui subsecutus est, omnes, qui arma sumserant, Medici, aut Pictio faventes eorum aedes petiere. Verum enim tanta armatorum multitudo convenerat, ut duo exercitus in urbe confecti fuerint. Quisque suos exhortatus aut beneficia, aut merita futura ostentabat. Sed duo Petri filii Laurentius, & Iulianus maiestatem avi, patrisque referentes maxime mortalium pectora commovebant. Siquidem, & innocentiam Familiae suae recensentes, & Cosmae in patriam merita fidos efficiebant fidissimos. Commemorabant praeterea summa oppugnatorum dignitatis suae ab avo, patreque beneficia suscepta, quorum immemores ill innocuam domum, patriamque perdere conarentur. Vtrumque etiam dixisse ferunt tantas opes ab avo ideo fuisse collectas, ut patriam, & amicos tutarentur: eas effundere paratos esse, ne illi cum patria caderent. Nam sibi regna patere,

atque claras urbes, ubi cum dignitate vitam ducere possent. Sed potius cum amicis suis amissis opibus vitam perdere decrevisse, quam illos in eorum desererere manibus, qui ne quidem patriae pepercissent. E contra vero Pictius Eques nonnullorum scelera commemorando, quos ipse servarat, eos vehementer perterrere, severitatem Petri narrare, si in manus suas devenissent: alios ad Magistratus hortari, virtutem, aut genus extollere, pollicendo aliis, aliis minitando armatorum animos confirmare. Petrum vero Medicem viventem Deum per innocentiam suam exorasse ferunt, ut patriae, atque innocentissimae domui succurreret, obtestatumque Christi Redemptoris Imagine tacta fuisse, si se victorem redderet, nullius cuiusvis immanis civis cruorem effundere. Multi quoque religiosissimi viri, multaeque sanctissimae mulieres, quae almae Virgini pudicitiam suam devoverant, civitatis casum deplorantes pro communi salute Immortales piissime exorabant. Operae pretium fuit quot, qualesque preces pro Medicis praesidio ab optimis viris effusae sunt liberalitatem, clementiam, innocentiam parentis, ac filii commemorantibus. Sed profecto florentissima civitas Immorta-

li

li Deo curae exſtitit, qui ſapientia clariſſimorum civium tanto periculo ſuccurrere dignatus eſt. Nam memoria mortalium numquam tantam multitudinem aſſumtis armis in anguſtis locis conveniſſe exiſtimo, quae caedibus, atque humano cruore tanta adhibita prudentia carere potuerit. Fuere nonnulli ea tempeſtate, qui pontes cum agminibus tranſeundos eſſe iudicarent. Id praecipue a Luca Pictio Equite prohibitum eſt, cuius tantum in factione illa auctoritas valebat, ut eo proelium prohibente nemo praeſertim ex externis certare auderet. Verum enim ſi quovis modo armatorum manus urbem invaſiſſet, univerſa civitas cruore mortalium redundaſſet. Nam Petri amici tam militari ordine veluti acies inſtuxerant, ut numquam urbe abire cogerentur. Multitudo praeterea maxima ad eum tota nocte cucurrerat, ita ut initio tumultus pauciores Medices eſſent, mane vero adverſarios multitudine obruiſſent. Verum numquam Petro victoriam proſpicenti ſuaderi potuit, ut cives ſui ferro perderentur, ſed in initio profectionis ſuae in urbem, ac deinde ſemper nihil aliud curabat, niſi ut depoſitis armis conſiliis, non telis certaretur. Iovis vero die quum tam prope

discrimina esse viderentur, duos clarissimos Equites Thomam Soderinum, ac Antonium Ridolfum ad Pictios ire cohortatus est Reipublicae salutem implorantes, rogantesque, ne tam florentem urbem a stirpe interire patiantur. Interea duo quoque strenui Equites Iannoctius Pictius Lucae agnatus, ac Mannus Temperanus eius gener ad Petrum properant eum communem salutem consulentes. Angelus Episcopus Portuensis Ecclesiae Dei Cardinalis iisdem temporibus forte Florentiam venerat, qui uti divinae religionis cultor, atque doctor cives ad pacem, salubremque concordiam enixus est cohortari Idem quoque plerique optimi cives suadere nitebantur. Sic bonis viris exhortantibus constitutum est, vt eo die Priores sorte, ut solitum fuerat, ducerentur, quibus una cum illis, qui usque ad Kalendas Septembris Reipublicae praeerant, cura totius civitatis existeret. Hoc ab omnibus comprobato summo consensu urna ad publicum Palatium deducta est Quippe Immortalibus propitiantibus nullus publicus locus armis obsessus fuerat. Nam Silvester Nardius Palatium Dominorum capere conatus a Prioribus Libertatis Petro faventibus prohibitus est, sicque praeclara civitas in tanto

to rerum discrimine libertate non caruit. Hi forte Priores declarantur Rubertus Leonius Iustitiae vexillifer, Matthaeus Giarius, Bernardus Paganellus, Iohannes Rucellarius, Bencivenni Gratinus, Bartholomaeus Martellus, Philippus de Lutiano, Silvester Cicha, Zanobius Benintendi, qui ubi Palatium pro more ingressi sunt, quamprimum de Reipublicae salute cum ceteris consulentes primarios cives ad se venire iusserunt. Lucas igitur Pictius, ac reliqui Florentinae urbis Equites, ceterique doctrina, & genere praestantes in publicum Palatium deveniunt. Petrus Medices adversa valitudine captus ambos Filios tamquam fidei suae pignora cum agnatis, ac amicis ad Libertatis Priores accedere constituit. Tum facto silentio multi egregii cives locum dicendi aggressi sunt Reipublicae discrimina differentes. Sed Antonius Ridolfus, ac Iannotius Pictius Equites antea inter se dissentientes facundissima oratione pacem potissimum suadebant. Ambo genere, agnatis, gloria item, ac virtute pollentes maxime mortalium pectora commoverunt. Laurentius quoque Medices sententiam dicere rogatus sic piissime, atque gravissime libertatem patriae deploravit, ut Cosmeadae virtu-

tis

tis memoria civium corda effuderit. Potissimum vero quisque fere casum civitatis secum exagitans unitatem, atque concordiam hortari nitebatur. Confirmatis igitur animis, ac reconciliatis omnes praestantiores cives ad Petrum Medicem uti ad communem parentem contendunt. Lucas Pictius anteibat Laurentii, ac Iuliani medius: reliqui cives seditionum immemores sequebantur. Postquam vero in aedibus convenere, Pictius, ac Medices inter se amplexi, atque osculari lachrymas retinere non potuerunt. Medices paterna in Rempublicam amplissima merita, ac sui optimam voluntatem in cives suos commemorando nihil concordia salubrius esse sapientissime disseruit. Lucam Pictium dixisse ferunt numquam se domum Magnifici Cosmae conspexisse, quin memoria illius sapientissimi Viri tamquam divina imago eum moneret, ut talis esset filio, qualis parenti perpetuo fuerat. Ea demum sententia omnium fuit, ut obliti discordiarum cuncti Reipublicae faveant. Discedentem deinde Pictium Laurentius, ac Iulianus Medices usque ad aedes suas medium deduxere. Magna tum laetitia omnibus bonis erat hominibus, quum inter primates tanta concordia iungeretur. Saturnii die Lucas Pictius omnes

ar-

armatos dimisit. Idem ceteri cives fecere praeter eos, quibus a Prioribus libertatis mandata Reipublicae cura fuerat. Pro certo creditur armatorum multitudinem a multis diutius sustineri non potuisse, quum ea non suppeditarent, quae gentes illae cum telis tantum accurrentes exigere videbantur. Sed memoratu dignum fuit epularum, ac victus quanta copia apud Medices exstiterit. Nam cuique ductori omnia summo ordine parabantur, quae laute vitam sustentare possent: panem, carnes optimas, vina probatissima undique mortales afferebant. Nam in principio tumultus Petrum monuisse ferunt, ut cibo congrua quoquomodo possent, emere, ac suscipere conarentur: vinum quoque colligerent, cuius eo anno magna penuria fuerat, & augusti mense illo etiam opulenti minime abundabant. A prudentibus hominibus accepi hanc victus solertiam maxime Medici favisse, quum apud adversarios neque ordo, neque copia talis exstiterit. Sed dum haec Florentiae aguntur, ex omnibus urbibus, Municipiis, villis, ac locis singulis sine ordine militari, sine consilio, sine certis auctoribus huc, & illuc curritur. Plerumque pacis, modo proelii fama vagatur. Alpes vero nostris finiti-

mae,

mae, ut commemoravimus, Mutinae Ducis Equites, ac pedites armatos, imminentesque habebant. Sed coloni nostri, uti fidi mortales, loca ardua observantes gentes illas perterruere, quibus profecto reditus difficillimus exstitisset. Verum enim tumultus, metusque sic mentes mortalium invaserant, ut nonnulli inimicos exercitus montem nostrum Apenninum transisse crederent: alii Pistorium captum fuisse asserebant. Multorum quoque opinio erat Bartholomaeum Bergamensem Venetorum Ductorem cum maximis militum copiis adventare. Quin etiam magna pars Cisalpinae Galliae, ac Flaminiae sic commota est, ut quisque viris, armisque potens vel properaret, vel profectionem suam munire conaretur. Nobis profecto, qui haec vidimus, fere credibile est quam subito ad loca remotissima haec fama volaverit, quamque repentino apparatu innumerae gentes Florentiam, ac regionem nostram petierint. Quod si tanta sapientia Magnanimo Medici, ac ceteris viris immortalitate dignissimis non fuisset, qui certari in urbe florentissima prohibuere, uno proelio universa Etruria tot clarissimorum vatum praeconiis celebrata miserrime corruisset. Nam cuiuscunque civitatis, ac Munici-

pii

pii provinciae nostrae viribus, & opibus praestantiores Florentiam armati venerant. Si igitur manu, & ferro res agi coepisset, quis tanto proelio finis esse potuisset? Equidem affirmare audeo post Constantinopolitanum excidium omnibus bonis hominibus luctuosum nullum periculum maius in Terrarum orbe tempestate nostra hoc exstitisse. Praeterea gentes illae, uti Myrmidones, ac Lycustae feritate pollentes agrestibus telis, & moribus haec nostra, ut vere dicam, pomeria, atque elisios campos sine nostrorum defensione penitus obruissent. Impius ergo haec tam culta novalia miles haberet? Barbarus has segetes? Quippe si proelium in urbe patratum foret, neque reditus ab illis metui, nec eorum rabies a colonis retineri potuisset. Sed Kalendis Septembris, qui fuit uno anno post Nicolai Cerretani dignitatem, Priores libertatis summo populi consensu, summaque totius civitatis laetitia Magistratum inierunt. Ab his missi cives clari sunt ad tutandos Apenninos montes Mutinae finitimos, ne qua vis in nostros fieret. Cursores quoque cum publicis litteris quemque Praetorem adiere, quibus de concordia Magistratus, ac civium omnes certiores reddebantur. Sed quia grave periculum

Rei-

Reipublicae fuerat, primatibus urbis optimum fore videbatur, si populus a Prioribus in publicum consilium vocaretur. Itaque comprobantibus sapientissimis civibus eodem die, quo Magistratum inierant, Priores Libertatis universum populum ad comitia convocarunt. Ipsi vero, ac Praetores urbis, ceterique Magistratus eo descendere, ubi iureiurando publica fides dari consuevit. E conspectu manebant omnes Florentini Equites: doctrina insigniti sequebantur. Postea sedebant reliqui cives, prout aevi aetas, atque generis praestantia postulabat. Populares, atque opifices forum implevere. Laurentius Medices armatus cum nobilium iuvenum caterva tamquam Libertatis Florentinae ductor, atque defensor in forum prodiit. Multi etiam egregii cives eo die arma sumsere, ne quid Respublica detrimenti pateretur. Approbante igitur populo Prioribus libertatis, ac eorum collegis summa auctoritas data est, uti viros cum potestate eligant, quibus Respublica, atque imperium curae existat. Nam res ipsa tam gravis hortari videbatur, ut summa potestas delectis viris daretur, qui tantos impetus sua auctoritate opprimerent. Post illius diei comitia quisque civis togatus exstitit. Ita ta-

lis

lis, tantusque populus sex diebus consumtis sine ulla caede, sine ullius cruore arma deposuit, quod quidem perpetuae laudi, & universae civitati, & tam praestantissimis civibus communi saluti consulentibus futurum fore existimo. Nam siquis aliter sentit mala usus mente, perniciem non solum praeclarissimae civitati, sed universae provinciae nostrae affectare videtur.

Priores libertatis una cum collegis suis Octoviros elegere, qui summa potestate functi Reipublicae curam susciperent. Hi namque fuere Luigius Pictius, Iohannes Caccia, Leonardus Bartholinus, Petrus Malegonella, Nerius Bartholinus, Scodellarius, Antonius Guidottus, Iohannes Blasii, Cherubinus Gallutius. Sed horum magistratus quibusdam civibus suspectus esse coepit, quum praesertim vererentur, ne illis, quae pararant, apertum foret. Itaque inprimis Neronius Eques, Angelus Azarolus, Nicolaus Soderinus urbe abiere, quod ubi cognitum est, plerique his consiliis coniuncti ad Octoviros deducti sunt. Franciscus Neronis filius Equitis frater fugere conatus prope urbis portam capitur. Is ad Praetorem ductus caedem Petro Medici, filiis, agnatis, ac multis sibi benevolentia coniunctis para-

tam

tam fuisse profitetur. Venturum praeterea Herculem Mutinae Ductorem cum equitatu, & peditibus: mox Bartholomaeum Bergamensem magno cum exercitu secuturum fuisse confirmat. Multa quoque in cives nefaria, civibusque amicitia coniunctis constituta commemorat, quae quidem victores ferreos commovissent. Socii coniurationis ab eo panduntur. Haec res Octoviros, ac omnes Medicis amicos maxime patriae, ac sibi cavendum esse commonuit. Quippe tam gravia urbem, agrumque subiisse pericula divina consilia postulabant. Multi quoque alterius factionis antea Petro infesti hoc deinde cognito libertatis memores, & horum malorum ignari Neronium Equitem, ac reliquos socios nefandi consilii execrantur. Sed Petrus Medices exorat, ne civium sanguis hoc pro scelere effundatur gratissimum affirmans Immortalibus fore, si manus civili cruore non asperserint. Consilium tanti viri Octo, qui Reipublicae praeerant, haud dedignati omnes Nerones, Angelum Azarolum, Nicolaum Soderinum cum filiis exilio damnarunt. Plerisque vero civibus Senatui suspectis Reipublicae dignitates interdictae fuere, armaque erepta, ne illis in patriae perniciem uterentur.

tur.

tur. Sic divina clementia mortalis unus aetate nostra inimicissimos, ac immitissimos hostes a caede servare potuit. Sed quoniam multi cives octo annos antea Luca Pictio Vexillifero praecipuo auctore vel sibi infesti, vel quod eorum patres, & avi Rempublicam offendissent, exilio damnati fuerant, nonnulli vero in patria viventes Magistratibus fungi nequibant; Petrus Medices auctor exstitit, ut Senatus, & Octoviri omnibus, qui Reipublicae obtemperaverant, & patriam, & dignitates redderent. Magna igitur laetitia civitas pollens fuit, uti a caede erepta, & paucis amissis multos egregios cives reciperet. Filii, & nepotes Bindaccii Ricasolani clarissimi, ac nobilissimi viri Reipublicae restituti sunt, quorum maiores plurimum gloriae in patriam rebus praeclare gestis attulerant. Franciscus quoque Castellanus Eques strenuus, & omni culpa vacuus Senatui redditus est. Hic unus ex summis viris aetatis nostrae adversam fortunam tam virili animo pertulit, ut ea quidem virtuti suae cessisse videatur. Interea Angelus Azarolus ad Ferdinandum Regem contendit. Nam Nerius unus ex filiis suis in exercitu Regali superioribus annis bello Gallico miles fuerat, & ob eam rem a Re-

ge ipse, ac fratres magnifice donati plerisque municipiis in Lucania summo cum honore praefuerant. Is apud potentissimum Regem vehementer conquestus est Petri Medices fortunam ingentem neminem ferre posse: se, ac quosdam egregios cives ideo patria pulsos, quod potentiae suae suspecti forent. Idem fecit Dietisalvi Neronius apud Mediolanensium Principem, qui in adolescentia sua hunc Equitem parentis aulam frequentare cognoverat. Ad hoc accedebat genitricis gratia, cui ante hos motus nemo fere Neronio Equite gratior exstiterat. Sed utriusque consilia facile in auras concessere. Nam in rebus mortalitatis nostrae minima iniuria summorum beneficiorum memoriam auferre solet. Nec satis est amico multos annos fidem exhibere, nisi ea perpetua fuerit. Etenim a Florentino Populo ad Senatus, Principesque Legati missi fuerant, qui suos exules aperirent, ne posthac Reipublicae nomine fides illis adhiberi posset. Ex his Antonius Ridolfus ad Ferdinandum Regem, & Luigius Guicciardinus ad Mediolanensium Principem profecti sunt. Ab his expositum est, quae Neronius, & Azarolus, cerique illius conspirationis statuerant. Quippe inter cetera cum Venetorum

Le-

Legatis, ac Ioannis Rainati Regis filiis amicis sic una convenerant, ut expulso Medice, immutataque Florentinae urbis conditione bellum pari animo cum Rege, & Duce gereretur. Praeterea uti victores Cisalpinam Galliam Venetis, Apuliae Regnum Ioanni quondam Lucaniae Principi, Lucam, & Senas Florentinis ascripserant, etsi late pateret Venetos haec ferre non potuisse, sed simulatione imperii Florentini ampliandi Principatum Galeazi Sfortiae concupivisse, quem sibi a Florentinis, praecipueque a Cosma Medice auctore sublatum fuisse profitentur Postquam igitur Ferdinandus Rex, ac Galeazus Princeps illorum audaciam compertam habuere, qui uti ingrati, ac infidi regnorum suorum excidium machinari audebant, utrumque cum filiis, ac propinquis ex imperio suo abire iussere. Hi ubi consilia sua patefacta fuisse cognovere, Dietisalvi Neronis Venetias, Angelus Azarolus Romam celeri cursu petierunt. Ibi aliquanto clementius suscepti de commutandis exiliis cum Legatis Florentinis agere coeperunt. Nam Venetiis Thomam Soderinum, Romae Ottonem Equitem, ac iuris consultissimum convenerunt. Pontifex vero praecipue postulabat, ut hoc illius sui gratia daretur.

Legatorum litterae cum Pontificis petitione Florentiam delatae fuere. Tum a Senatu relegationes illorum voluntate Medice praecipuo auctore concessae sunt. Id magis eo factum est, ut neminem illorum consilia laterent, quamquam Senatus obtemperaturos illos fore putaverit. Nicolao quoque Soderino Ferrariae Principis precibus, ad quem initio confugerat, idem contigit. Nam apud Renatum Regem exilium postulabat. Sed exules hoc beneficio minime freti acquiescere potuerunt. Nam in dies ferociore animo reddebantur. Modo Bartholomaeum Bergamensem adire: nunc Mutinae Principem sollicitare, ac omnia curare, quae bellorum apparatus exigere viderentur. Tum latissime patuit, omnia ab illis simulatione fieri, quo in prima aestate improvisas regiones nostras invaderent. Quo quidem cognito inter Ferdinandum Regem, Galeazum Ducem, Florentinumque Senatum amplissimum foedus percussum est, hisque permissum, uti omnes fida sibi caritate coniunctos in eodem foedere tenere valeant. Huius apparatus Federigus Vrbini Princeps Imperator creatus est. Ferdinandus Rex primogenitum suum Calabriae Ducem ad defendendam Florentinorum libertatem se missurum pollicet ut

as-

afferens, si opus fuerit, dextera sua sese hostes insecuturum fore. Galeazus quoque Princeps Florentinae fidei, ac paternae benevolentiae memor se praesidiorum suorum Ducem ardentissimo adventu futurum esse obtestatus equites, ac pedites suos ad bellum parare nititur. Florentini vero omnes urbes imperii eorum, ac municipia armis, virisque complent: moenia, & arces muniunt: postremo omnia parant, quae non exulibus bellum simulantibus, sed illis latenter faventibus respondere valeant. Nam hoc bellum relegatorum nomine aliorum viribus apparari videbatur. Quippe Bartholomaeus Bergamensis Venetorum ductor milites undique congregabat. Sibi praeterea adhaeserat Alexander Sfortia Galeazi Ducis patruus, ac Sforzinus Francisci Sfortiae Principis ex concubina filius, qui tum cum fratribus dissentire putabatur. Silvester insuper inclytus quondam Iacobi Piccinini ductor cum magno equitatu Bergamensem convenerat. Hercules vero Mutinae idem facere conabatur. Exules cum his ductoribus totam hyemem consumsere. Ferunt Nicolaum Soderinum in Venetorum Senatu orationem habuisse, in qua bellum exhortatus omnes urbes, & municipia nostra primo Bergamensis adven-

tu a Florentino imperio deficere pollicitus est. Nam per totam Etruriam onera intolerabilia impendi afferebat, seque ubique factiosos homines habere, qui invito animo Medicis potentiam tolerarent. Idem Neronium Equitem persuasum fuisse creditur, ac etiam adiunxisse, Populum Florentiae nolle in bello pecunias consumere, nec fieri posse, ut praesidia tam repentino apparatu suppeditent. His Venetorum Senatus allicitus, quae tamen deinde contra eorum sententiam evenerunt, pecunias suas ductoribus dare non dubitabat. Sed tamen illos tam amplissimum foedus extimuisse constat, qui nunquam aperto Marte pugnare ausi sunt. Sed quoniam provinciae nostae hoc grave bellum, ut diximus, praecipue imminere videbatur, foederi placuit equitibus, ac peditibus ea loca munire, quae descendentibus hostibus propiora existebant Rubertus igitur Aragones cum mille equitibus, ac quingentis peditibus in agrum Pisanorum profectus est. Prope vero Bononiam, & Pistoriensium Alpes Rubertus cognomine Vrsinorum Eques cum magno exercitu consederat. Interea quisque Senatus, ac Principes, Ductoresque sibi amicos reddere nitebatur. Veneti praecipue Mantuae Principem defatigabant,

qui

qui tamen Renati foederi coniunctus est. Taddaeus Imolae Comes vir quidem strenuus, & maioribus suis dignissimus Florentinis favere constituit. Idem facere Astores eius patruus pollicebatur, qui tum Faventiae potestatem retinebat. Sed paulo post multo aliter animo sensisse apparuit. Nam quum Bernardus Corbinellus Florentinorum Legatus ad eum contendisset, quo de foederis conditionibus convenirent, Princeps torvis oculis illum suspiciens multa de Florentinis questus est, ac minitans parum absfuit, quin contra ius gentium Oratorem violare ausus fuerit. Sed vir egregius mitissimis verbis pecuniam ad eum detulisse asseruit, quam in propinquo oppido militum metu reliquisset. Hac spe deceptus Astores se mitiorem reddidit. Tum Legatus cum lictoribus Principis tamquam exploratoribus urbe exiens ubi nostris propior fuit, in castra Regalia profectus est. Astores vero uti derisus, saevitiamque suam exagitans, ac Regale foedus metuens Venetorum insignia extulit non veritus ea ab iniuria se tutari posse. Sed longe aliter evenit, quam putarat. Nam Regis equites, ac pedites discrimen suum exagitantes, qui se uti amico illi crediderant, omnem regionem Astoris armis, igne, fer-

roque invadere conabantur. Ad hoc accedebat, quod plerique Principis milites Regalibus benevolentia coniuncti eodem fere tempore scripserant, uti ab Astore caverent, qui eis spolia eripere statuerat. Praeterea paucis ante diebus a Regali foedere tamquam illius ductor octomillia nummorum auri susceperat. Haec omnia impetum in eum fieri postulare videbantur. At Astores ubi tam repentino malo se circumventum comperit, Herculem Estensem, ac Foro-Livii Comitem supplex exoravit, ut sibi praesidio essent, ac quo citius potuit, Venetos facinoris sui certiores reddidit. Ipse interea urbem, ac oppida sua munire nitebatur. Hercules iampridem bello opportunus Faventiam venit, ac paulo post Bartholomaeus Bergamensis cum omnibus copiis prope urbem Astoris castrametatus est. Cum Bergamensi Imperatore illius foederis hi fuere: Alexander Sfortia, Silvester Iacobi Piccinini quondam Ductor, Deiphebus Adversae Comitis filius, Foro-Livii Princeps, Hercules Estensis Mutinae Dux, Sforzinus, Astores cum filiis ambis, novissimus vero Carolus Braccii Ductoris bellicosissimi filius. In his castris Venetorum Legati, exules Florentini, Bononienses, Perusini mo-

ra-

rabantur. Sed ad impugnandum Aſtorem Rubertus Vrſinus Ductor inſignis inprimis accurrit, ac Taddaeus illius nepos, cui Faventiam iure gentium ſibi contingentem ſubripuerat: Federigus Regalis foederis Imperator, Rubertus Aragones, Alphonſus inclytus Ferdinandi Regis Ductor. Mox vero in caſtra devenit Galeazus Sfortia Dux tam validis equitum, ac peditum copiis, ut magno metui hoſtibus fuerit. Hi omnes in agro Aſtoris tribus millibus paſſuum prope Bergamenſem caſtra ſua poſuere. Sic ille, qui militiae ſuae duplicem mercedem ſperaverat, duos ingentes exercitus magno ſuo, ſuorumque incommodo alere coactus eſt. Omnes quippe uno ore ferunt utraque caſtra tam claris Ducibus, militibuſque floruiſſe, ut talia aetate noſtra rarius exſtiterint. Sed Galeazus Dux annis, viribuſque pollens proelium prae ceteris appetebat. Itaque ſaepe ab Imperatore Bergamenſi certari poſtulaverat. Ipſe quoque ingenti animo uſque ad vallum hoſtium equitare auſus, illumque compellans ſe ſe pudere in anguſtis locis tot clara agmina ſine bellico certamine cunctari aſſeruit. Imperator nondum opportunum tempus veniſſe reſpondit. Pro certo creditur, Venetos ideo moras traxiſſe, quod exulum

ver-

verbis alliciti alicuius praecipuae civitatis, vel municipii defectionem cunctarentur. Sed ut superius commemoravimus, contra, ac rati erant, evenit. Nam quisque periculum suum animo volvens sic defensioni favebat, ut perpetuo monumento futurum sit, neminem exire ostium debere culminis reditum expectantem. Civitates vero, ac municipia vectigalia impendentia quantae fidei essent aperuere. Nam quaeque moenia, ac arces cives, ac municipes fido praesidio tutabantur. Coloni quoque praesto Praetoris iussu ad opportuna loca contendebant. Vidi ego Pistorienses cives antea inter se dissentientes dies, ac noctes pari mente sic urbem, agrumque tutari, ut eorum concordia ingenti gaudio affectus paene defecerim. Etenim quid civitati meae deest, si cives unitate tenerentur? Loco Pistorium laudabili situm est, fertilissimum, pulcherrimum, & quod maximum esse iudico, mortales fidos, ac cunctis bonis artibus congruentes producere solitum. Sed ea tempestate cives nostri simultates cum hostibus exercere decreverant. Nam praetereundum puto, ne quis me insolentem existimet, quod a plerisque fidissimis sodalibus meis acceperim. Ceterum Florentiae pecuniae undique

de-

defluebant. Numquam Senatus Decemviris, qui bello praeerant, onera denegavit. Commeatus lautissime Florentia, ac Bononia in castra deferebantur. Hostes vero Veneti per maritimas Ravennae opportunitates muniebant. Sed ubi Galeazus Princeps tempus teri animadvertit, Florentiam venire constituit. Relicto igitur exercitu cum paucis in urbem profectus ingenti honore, ac summa laetitia susceptus est. In hoc enim adventu multorum improborum ora oppressit, qui sermone ambiguo de eo subvereri videbantur. Tum quoque Cosmae virtus dilucidissime patuit, quae quidem in dies maiore laude perpetuo celebrabitur. Quippe potius divinae, quam humanae mentis exstitisse videtur, quod Medices, ac sibi adhaerentes Francisco Sfortiae adeo faverint, ut & inclyta virtute sua, & Florentinorum praesidiis tam grande imperium fuerit assecutus. Qua quidem in re Venetis vehementer obviatum est, cum quibus foedera maiorum nostrorum diuturno aevo exstiterant. Sed non minore admiratione dignum fuit, quum superiore bello Gallico Franciscus Sfortia Dux Cosmeae dimidium animae tot praesidia Ferdinando Regi misisset, ac mutua affinitate cum eo se se coniunxisset, qui ariete aliquando municipia no-

stra

stra percusserat. Praeterea nulla Venetorum mentione habita foedus amplissimum inter Regem, Ducem, ac Florentinorum Senatum percussum est. Sed divinum Medicem praesagisse apparuit, Venetorum ambitionem capta Cisalpina Gallia acquiescere non potuisse, sed universae Italiae imperio vendicato Florentinis tum parum fidei praestaturos, quum praesidia nequicquam implorare potuissent. Id satis compertum fuit, quum Brisçia praeclara civitas, aliaque municipia a nobis capta fuere. Nam assumtis sibi potioribus Bugianium incensum uti victoriae portionem concesserunt. His igitur Cosma exagitatis Sfortiae, ac Aragonum genus fide, & officio Florentinis amicum parare nixus est, ut hi Duces, & Principes Venetorum potentiae obstantes libertati praesidio esse valerent. Sed ignobile vulgus divina, ac magna consilia nunquam nisi periculo facto complectitur. Omnes itaque invidia patriae carentes ubi Ianuae, ac Mediolanensium Principem adeo adolescentem dimisso Regno nondum fere satis pro paterno funere dimissis lachrymis tanto ardore ad libertatis defensionem venisse conspiciunt, Cosmae laudes ad sidera efferre nitebantur. Princeps vero facundo ore animis ci-

civium revocatis ut civitati ipsi consulant, sibique permittant belli curam vehementer exhortatus est. Sed dum haec Florentiae aguntur, octavo Kal. Augusti, quo die Divi Iacobi solemnitas religione summa adhibita celebratur, adolescentuli quidam equitum armigeri pro more ex utroque exercitu ad flumina equos forte depulerant. Ibi primum verbis, deinde manu ab illis magna audacia certamen inceptum est. Quum vero pulvere prospecto, ac tumultu propiores milites accurrissent, quisque insidias metuens suos compellere nitebatur. Parvo itaque momento plurimae acies infestis armis eo convenere, ac manus inserere coeperunt. Ex Bergamensis exercitu inprimis accurrit Alexander Sfortia, ac Deiphebus Anguillara iuvenis ferox, & belli avidus. Ex Regali vero foedere primus omnium advolavit Rubertus Aragones, ac quaedam Mediolanensium Principis acies; & denso facto agmine adeo hostes defatigarunt, ut Bartholomaeum ductorem ad suos tutandum necessarium fuerit proficisci. Sed dum manu res geritur, in utroque exercitu ingens insidiarum metus erat. Quisque verebatur, ne hostes consilio certamina patravissent. Sed Bartholomaei praecipue agmina sine militaribus signis,

sine

ſine ordine magna trepidatione huc , & illuc vagabantur. Rubertus vero ubi ſe cum paucis ad tam praecipuum proelium contendiſſe videt, ſuos brevi oratione cohortatus in medios hoſtes ingenti animo irrumpit, quem inclyti Ducis, ac ſui milites ſecuti uſque ad ductoris cohortem proceſſere hoſtium acies , & ordinem evertentes. Sed Bergamenſis ductor peditibus magis, quam equitibus ſe ſe defendere conabatur , quorum tanta apud illum copia fuit , ut innumeri equi noſtris militibus eorum gravi periculo corruerint. Ipſi quoque Principi bis ſonipes ſuo maximo diſcrimine interemptus cecidit . Ex altera vero parte multi mortales ab equitibus trucidati Bergamenſem vehementiſſime terruerunt. Poſtquam igitur Rubertus ſe cum equitatu hoſtem ſuperare animadvertit, ad Federigum Regalis foederis Imperatorem fidos mortales mittit , qui eum hortentur, ut cum ſuis aciebus victoriam ſequatur. Federigus vero , ut creditur , fortunam belli metuens magis eo die concordiam monere, ac unumquemque a proelio revocare , quam manu rem gerere nixus eſt. Nam in hoc certamine omnis paene dependebat Latinorum conditio. Rubertus vero ubi fruſtra auxilia ſe cunctari videt, ſuis,

ac

ac Mediolanensium Principis audentissime munitus maiore animo, ac ampliore vi hostes aggreditur. Sed nox iam instare videbatur, quae quidem res Bartholomaeum Bergamensem pavore confectum plurimum refecit. Nam pro certo habetur, si dies proelium protulisset, Rubertum hostium exercitum evertisse. Tanta quippe sua, suorumque virtus eo proelio extitit, ut victoria illis haud anceps putaretur. Sed invida nox huic insigni Principi summam opportunitatem abstulit, ut sua inclyta virtute aperiret, quantum vis unius mortalis saepissime in bello potuerit.

Huius proelii fama per cursores confestim delata ubique coetus mortalium effecerat. Quippe quum nihil manu gestum ea aestate fuisset, animi more hominum erecti uti quisque mente sentiebat, rem votis suis respondentem audire cupiebant. Galeazus Princeps indigne ferens exoptatissimae pugnae non interfuisse ad castra brevissimo tempore advolavit. Ibi omnes fere equos pulchritudine, ac cursu valentes ab hostibus effeminato more comperuit interemptos. Ex quo mente complexus est, si proelio interfuisset, victoriam sibi ancipitem esse non potuisse, quum id ex ignavia, ac desperatione inimicorum

eve-

evenisset. Ex utroque exercitu multi milites acriter vulnerati fuere. Sed praecipue magno discrimine non caruerunt Hercules Estensis Mutinae Dux, ac Deiphebus Anguillara, de quorum vita diutius dubitatum est. Bartholomaeus Bergamensis inducias quadraginta dies postulavit hac conditione adhibita, ut tribus ante diebus more legitimi belli praedici certamen deceat. Galeazus Princeps, ceterique ideo sibi assensere, quod Savoiae Dux genere Gallus Regi infestus municipia sua aggredi parabat. Data igitur mutua fide Mediolanensium Dux Bononiam profectus, ac deinde per Ferrariensium agrum iter faciens ad Principatum suum rediit, moxque magnis copiis Ducem minitantem aggreditur. Sed Ferdinandus Rex interea bellum protrahi animadvertens suspicionibus Venetos consumserat. Nam si vera fateri volumus, illorum belli fortuna maxime in Sforziadae genere consistere videbatur. At quis existimet, Alexandrum familiam suam extinctum ire potuisse? Iisdem fere temporibus Alphonsus Aragones agrum Astoris populatus est. Ea res magnam copiam commeatus peperit. Nam coloni per foveas immisso frumento pauperiem simulabant. Sed ubi plerique ex illis a militibus capti ad Ara-

go-

gonem Ductorem devenere, mortem verentes pro vita loco proemii cibaria pandunt. Sed praeda haud incruenta fuit. Quippe multos ex militibus inconsulte vagantes montani agrestes obtruncavere. Pars praeterea agri illius vastis rupibus munitissima est, tantumque loci natura valet, ut haud tuto bello cuiusvis copiarum tentari possit. Sed Ductor Alphonsus austero corpore acriore animo Hispanos milites ductabat, qui uti apud auctores est, quemvis laborem ferre, nec retro fugere dociles perpetuo exstiterunt. His peractis illius anni aestas consumta est. Ex quo colligi decet, magis animo Latinorum Duces, quam manu bella gessisse, magisque metu miserae Italiae, quam caede nocuisse. Properante igitur hyemandi tempore Bartholomaeus Bergamensis in planitie, ac maritimis oris Ravennae militibus suis stationes constituit relictis Faventiae plerisque ductoribus, qui Astorem pavitantem tutarentur. Alphonsus Aragones Arretium petiit. Rubertus Vrsinus cum Taddaeo Imolam profectus est. Federigus inter Bononiensium, ac Pistoriensium colles consedit. Alphonsus Regis filius, & Rubertus Aragones in agro Pisanorum classes suas habuere. Sed dum inclytus Calabriae Dux Pisas ver-

ſus contenderet, Florentia tranſiens a Senatu, civibuſque ſummo honore aliquot dies ſuſceptus eſt. Ibi Princeps paternae Maieſtatis nomine aperuit eandem, communemque fortunam Florentino Populo, ac ſuis Regnis perpetuo fore. Se a parente Rege ideo in Etruriam miſſum, ut dextera ſua eorum libertatem tutaretur. Poſtea vero Medicem amplexus, atque oſculatus ſe tertium filium ſuum eſſe aſſeruit, nec aliter dignitatem eius, ac Regna Patris defenſurum fore. O felices aedes, quae nobis proſpicientibus tot, & tales divini cultus, atque humani imperii Principes Coſmum, & Filios ſalutantes ſaepiſſime ſuſceperunt! Omnes profecto, qui invidia, uti Chriſti nomen profitentes decet, carere voluerint, facillime iudicabunt, nullius domum in civitate libera tanta inſignium virorum frequentia floruiſſe. Sed hi ambo Duces ampliſſima fortuna pollentes mea ſententia Petro Medici plurimum gloriae attulerunt, quum in tam tenera aetate tam ardenti, regalique animo populi ſui libertatis, ac familiae ſuae dignitatis propugnatores ipſi acceſſerint. Poſt eum diem Alphonſus Princeps Florentiam uti patriam, cives uti fratres perpetuo habuit. Dum haec aguntur, quidam

dami coloni Aſtori notiſſimi Dovadolae defectionem ſtatuere, quod oppidum prope Apenninum ſitum eſt. Res opportuna videbatur, quum eius poteſtas Aſtoris generi multos annos antea exſtitiſſet. Erant ibi cum ſubſidiis Franciſcus Florentinus, ac Raphael Piſtorienſis uterque oppidanis ſe vehementer credens. Sed ubi Silveſter quondam Iacobi Piccinini Ductori ex improviſo moenia aggreſſus eſt, noſtri pro tempore inſtare conabantur. Mox oppidanorum perfidia cognita quiſque ſtrenuus in arcem confugit. Ad eam vero impugnandam omnibus belli tormentis magna equitum, ac peditum multitudo acceſſerat, non ſecus ac pro maxima re certaretur. Demum irrupto, ac incenſo arcis muro potiſſimum ea patuit. Raphaeli, ac Franciſco Centurionibus vita ab hoſtibus reſervata eſt, ac uterque cum aliis captivis auro vitae conditionem redimere iuſſus cuſtode fido ſervabatur. Huius oppidi defectio omnia immiſcere, ac commovere videbatur. Ex noſtris propiores ſtatim accurrerunt. Deinde Alphonſus Regis filius, ac Rubertus Aragones prope finitimas Alpes cum infeſtis copiis conſedere. Sed deinde conſultum eſt, ut ea hyeme pro rediſmendo oppido incepta non patrarentur.

Munitis igitur opportunis locis quisque ad stationes suas rediit. Silvester, qui in Dovadolae expugnatione malo omine capite vulneratus fuerat, Ravennae periit. Hic vir militari gloria insignis exstitit, ac omnia vivente Iacobo Piccinino belli gravia gesta per eum tantum laudis sibi concesserant, ut utrumque amplissimum foedus eius amicitiam, ac fidem in hoc bello postulaverit. Ille vero, uti saepius deliberando res mortalium procedunt, Bergamensi adhaerere constituens mortem sibi miserrime conscivit, quae quidem res longe gravior, quam accepti vilis oppidi laetitia exstitit.

Interea Ferdinando Regi, ceterisque foedere coniunctis concionem Principum opportuno loco haberi placuit, ut consultarent, quid in nova aestate agendum videretur. Alphonsus igitur, ac ceteri Duces Mediolanum petiere, quo Legati Regis, ac Florentinorum convenerant. Ibi multis rebus exagitatis consultum est, ut omnia, quae bello usui essent, repararentur, ac non solum terrestria, sed etiam maritima certamina augerentur. Ferdinandus Rex classem ingentem edidit. Idem Ianuenses, Florentini, ac Plumbini Princeps fecere, ne quum terrestri proelio minime cessissent, mari cedere viderentur.

rentur. Hoc grave Venetis esse apparebat; qui omnibus fere Mare tenentibus infesti tam amplissimi foederis classem munitissimam metuere cogebantur. Sed Venetiis quoque, ac Ferrariae multa in dies agebantur, quae suspicionem belli afferebant. Quippe quum milites ab illis quotidie describerentur, exules quoque Florentini ibi magno honore haberentur, eadem illos consuluisse putabatur. Sed non solum in Italia suspectae res animos opprimebant, sed in Gallia quoque Transalpina magni motus existebant. Teutonici quoque; & Angliae Principes inter se dissentiebant. Teucrorum vero Imperator huc, & illuc classem ducens maritimas oras vehementer perterrebat. Sic Terrarum paene Orbis incendio aestuabat. At Paulus Pontifex Romanus, qui semper se medium fecerat, Legatos Latinorum Principum, ac Senatuum Romam venire exhortatus est, ibique multa de pace consulens omnino arma deponenda esse piissime monebat. Omnibus quidem pax tutissima res fore videbatur. Sed conditiones pacis concordi animo provenire minime apparebant. Dum vero haec Romae aguntur, Taddaeus Imolae Princeps, ac Alphonsus Hispanus Ducis Calabriae peditum Ductor Oriolum munitissimum, ac fertilissi-

 mum

mum Aſtoris oppidum aggrediuntur, eoque vi magna potiri municipes Aſtori fidos uti hoſtes habuere. Qui vero Taddaei parenti grati exſtiterant, ſumma clementia conſervati fuere. Nam Aſtores mortuo fratre Oriolum per defectionem ſuſceperat. Ex ea captivitate pollens praeda militibus evenit.

Interea Ludovicus unus ex nobilibus Januae urbis Sarezanam, ac multa oppida munitiſſima ſuſcepto magno auri pondere Florentinorum imperio conceſſit. Is adverſus Principatui Mediolanenſium, ac Ianuenſium Ducis perpetuo fuerat. Sed ea tempeſtate univerſo foederi uſui putabatur, ut nullus Lunenſium agri locus ab hoſtibus caperetur. Verum haec loca maxime Florentino regno opportuna exiſtunt. Quippe Piſis ex ea parte oppugnatio plurimum minabatur. Galeazo quoque Duci potius fuit ea munitiſſima oppida Florentinos, quam imperii ſui hoſtes obſervare. Haec res Petri Medicis conſilio confecta eſt, qui & Etruriae, & Ianuae fauces tenendas eſſe iudicavit, quod quidem ſibi ſummae gloriae exſtitit, quum in tam vulgi opinione ancipiti bello exoptatiſſimum Principatum patriae ditioni adiunxerit. Ad ea municipia regenda a Florentinorum Senatu

Io-

Iohannes Ridolfus vir integerrimus, ac sapientissimus Praetor mittitur.

Ceterum quum in prima aestate maximus omnium apparatus belli eminere videretur, iamque denudati enses vastitatem Italiae nobis misere minarentur, Paulus Romanus Pontifex iterum Legatos Latinorum Senatuum, ac Principum accersiri iussit. Tum arctiore nixu pacem suadere non destitit, monuitque omnium exercitus Teucrorum rabiem insequi. Septimo igitur Kal. Maii Pontifex Maximus convocatis divinae Religionis publice, ac humani imperii Proceribus pacem omnibus Christi nomen profitentibus clementer summo omnium applausu evangelizavit, atque indixit. Hic patria Venetus, genere Barbo Eugenii PP. Quarti nepos exstitit. In hoc vero belli apparatu tanta sapientia usus est, ut si pacis conservator, veluti auctor fuit, habebitur, Sanctissimis Pastoribus merito coaequandus esse videatur. Quippe clamore undique septus nunquam e sententia dimoveri potuit, quo Italiam bello everti pateretur. Quin etiam exercitum amplissimum, quem Neapolionus Ursinus prope Ariminum suo iussu ductabat, utrique foederi favere prohibuit. Omnia denique extrinsecus ab eo gesta

ſumma laude clariſſima exſtitere. Sed multorum erat opinio longe aliter illum mente agitare. Verum enim vero reliquum vitae, quod ſupereſt, Pontificio ſuo, utrum illi gloriae mortalium invidentes, vel nos aetatem noſtram virtute florentem exoptantes errore teneamur, aperiet. Ceterum pax evangelizata a Summo Pontifice a multis ibi reſidentibus claro praeconio laudata eſt. Erat ea tempeſtate Florentinorum Legatus Ottonius iuris conſultiſſimus, ac militaribus muneribus a Paulo Secundo Romano Pontifice donatus. Hic, ubi ad eum dicendi locus acceſſit, ſic omnibus intentis exorſus eſt.

Quamquam immortalis Principis ampliſſima in nos quotidie munera emanent, atque incomprebenſibili largitate effluant; in tanto nunc tamen graviſſimi belli apparatu clementiam illius pariter, ac ſapientiam baec noſtra mortalia piis oculis conſpexiſſe exiſtimo. Quippe quem pacis auctorem Deus Omnipotens tam gratiſſimum in Terris, atque exoptatiſſimum adhibere potuit, quam Te, Beatiſſime Pater, communem omnium parentem, qui Chriſti unigeniti ſui nomen religioſiſſime profitentur? Credo equidem, nec vana fides, bos omnes potentiſſimorum Regum, Senatuum, ac Principum egregios Oratores eamdem ſententiam reti-

ne-

nere. Sed Florentini Populi, cuius Legationis munere fungor, voluntatem non obscuram quidem paucis aperiam. Nunquam Senatus noster, Beatissime Pater, nisi summis lacessitus iniuriis pace bellum mutandum esse iudicavit, sed pacem uti divino munere mortalibus elargitam summa religione semper colere nixus non minus communi saluti, quam suae perpetuo consulebat. Nuper vero animadvertens equitum, ac peditum copias pulcherrimae provinciae nostrae divino, ac humano iure abrupto impie minitari, tanto ardore bellum cupiebat, quanto mortalium pectora accepta iniuste contumelia unquam coalere valuerunt. Sed ubi pacem divina ora tua intonuere, parenti optimo, ac Viventis Dei Filii Vicario obtemperandum esse iudicavit. Nam profecto neque Sanctitati tuae resistendum erat, neque illa ea postulasset, quae devotissimis filiis se se sibi credentibus officere potuissent. Etenim quum Florentinorum Senatus, atque Populus Ecclesiae Dei propugnator saepissime exstiterit, nunquam Apostolicam Sedem etiam in maximis, ac periculosis bellis reliquerit, Pastores hac urbe pulsos uti senes parentes foverit: nunc eundem animum liberum, atque solutum tibi Pontifici exoptatissimo praestare nititur, quum impio ferro lacessitus nulli gen-

tium

tium Principi cedere voluisset. Nemo praeterea sanae mentis veretur, ut eas conditiones pacis Sanctitas Tua imponat, quae a tam amplissimo, atque potentissimo foedere ferri non posse videantur, quum praesertim non bello victi, non excidium nostrum extimescentes, sed auctoritate tua tantum freti magis parcendo illi obtemperare, quam ulciscendo obsistere cupiamus. Quippe novimus, Beatissime Pater, Te Christi Viventis Dei vicem gerere, apud quem Graeci, aut Latini distinctio nunquam exstitit. Nos quoque hodie uno sanguine redemti, uno Baptismate insigniti unum Te Pastorem, communemque Parentem & credimus, & profitemur. Sed ingens virtus Tua etsi saepe antea, nuper tamen in hoc gravissimo bello Summum Pontificium viro sapientissimo contigisse aperuit. Etenim praedicantibus multis ductores tuos una cum hostibus nostris in Etruriam properare, maluisti innocua servare arma, Teque pacis praebere auctorem, quam plerisque fidem adhibere, qui maximas dignitates, ingentes opes inaudita cupidine capti ferre minime potuerunt. Sed quo iure perditi homines Sanctitatem Tuam ad bellum Florentino Populo inferendum provocare conabantur? Vt gentem scilicet nostram religiosissimam, & quae contra potentissimos

Im-

Imperatores, atque Reges pro Ecclesia Dei gravia bella saepissime gesserat, tuis viribus impugnarent, quibus etiam faventibus egregios cives, & de Republica nostra optime merentes, ac insuper mirabili divini cultus religione praeditos e patria pellere posse iactabant. Verum sapientissima mens tua omnia impia consilia nequicquam fuisse suscepta aperuit, piosque servandos, non impugnandos fore censuit, ut immanitas mortalium virtutem, ac arma Sanctitatis Tuae facilius extimesceret. Patere aequo animo, Beatissime Pater, me a Sanctitate Tua insigni militiae munere donatum aliquanto sermonem protrahere. Nae ea, quae mente complector, hos etiam praestantissimos, ac immortalitate dignissimos viros ulla iocunditate afficerent. Quippe nihil gratius, nihil acceptius, nihil suavius nobis omnibus esse debet, quam gloriam Sanctitatis Tuae quotidianis usurpare sermonibus, qui salutis nostrae auctorem primum imitatus mediator piissime exstitisti. Soleo igitur, Pater Optime, de felicitate tua uti potissimum illi debens saepissime cogitare, nec invenire consuevi quicquam humanae gloriae tuae exoptari potuisse, quod summa laude non fueris assecutus. Multa praeterea in hoc felici Pontificio praeclare gessisti, quae mortalitatis nostrae praestantiora

ra viribus immortalitatem tuam perpetuo celebrandam esse profitentur. Sed unum adhuc superesse existimo, quod quum favente Immortali Deo, ac virtute tua comitante complexus fueris, te Sisto, Cornelio, Silvestro, ac reliquis Sanctissimis huius almae urbis Episcopis merito coaequabimus. Hoc tantum Tibi continget, Beatissime Pater, si Teucrorum immanitatem, quae nimium in nos progressa est, haud inultam esse permiseris, dum omnes fidei tuae crediti nihil abs te requirere poterunt. Tum virtutem tuam admirantes parem superioribus illis, quos modo nominavi, Pontificem habuisse uno ore fateri non desistent. Sed amplissimum iter huius perfectionis hodierna die consecutus es, quum pacis universalis auctor prohibuisti Italiam Provinciam invictissimam, & quae cunctis gentibus imperaverat, admirandam virtutem in viscera sua convertere. Nec quicquam aliud magis sapientissimam mentem tuam excruciare censeo, quam ut non potueris hanc labem ex nostro divino cultu pacatis Latinorum Principibus removere. Scio Te cogitare, quanta Imperatoris Constantini fides, pietas, magnificentia inaudita, ac omnino admiranda in Apostolicam Sedem exstiterit. Illius amplissima officia Te ad ulciscendum Christianissimi Principis imperium dies, ac noctes

ctes provocare existimo. At Virgines raptae, Reliquiae Sanctorum incensae, eversa Dei templa quo Te languore afficiunt? Quid si ea tempora meminisse volueris, quae Te civem, & patria Venetum referebant? Quae gens ab immanitate illa barbara graviores poenas dedit? Quam generosa Venetorum prosapies? Quae suo nobilissimo cruore in summis, ac inauditis cruciatibus innumeros enses belluarum immanium cruentavit. Sed nunc communis Parens omnium Christianorum vulnera sentis. Te ergo cruci affixum, a volatilibus decoriatum, in medio septum diutius perpeti poteris? Verum enim vero non erat Italia deserenda tam intestino bello fremens nec Te decebat prius in Teucros arma Christianorum convertere, quam placatis fortissimae gentis animis, cuius inclytae virtuti immanitas barbara cedere cogeretur. Nunc nunc, Beatissime Pater, ensis noster denudandus est, ut simultates, furoremque mente conceptum in atrocissimos Dei hostes viriliter effundere valeamus. Quis veretur cuiusvis robur occasurum fore, si heae nostrae copiae equitum fortissimorum, ac peditum ad illud evertendum Te praecipue ductore deferantur? Duo Pauli in hac urbe immortali gloria Consules fuere: Alter Cannensi proelio pro patria pugnans viriliter cecidit: alter Persen potentissimum

Mace-

Macedoniae Regem cum tribus filiis ad hanc urbem ante currum memorabilis triumphi captivum duxisse praedicatur. Duo quoque Pauli Apostolatu in Viventis Dei civitate functi sunt. Alter vas electionis fuit, quem praedicatione, & suis sacris telis Fidem Christi tutantem ab impiis hominibus interemtum fuisse credimus. Tu vero, Beatissime Pater, alter Paulus extitis; cui huius immanissimi Principis victoria debetur, ut altero interemto, altero triumphante gentilitati minime gloria nostra cessisse videatur. Tunc, ut diximus, immortalitatem omni ex parte consecutus ab auctore nostro Deo ex militante ad Ecclesiam caelestis Imperii triumphantem deduci merito poteris. Omnes quoque divini cultus memoriam celebrantes una voce clamabimus: Ecce hic duobus Deciis, qui in hac urbe Consules fuere, longe praestantior omni copia abundans non pro mortali Republica, sed pro Christi nominis honore sese devovere non dubitavit. Nos igitur gloriae tuae, Beatissime Pater, praecipue faventes hanc almam pacem a Sanctitate tua omnibus Christo Viventi Deo credentibus evangelizatam piissima mente complectimur. Et ut finis exordio nostro respondeat, Tibi illius auctori maxime gratulamur, quum praesertim omnes Te, uti illius inventor exsti-

exstitisti, sic eius defensorem, ac propugnatorem fore perpetuo sentiamus.

Postquam Ottonius Vir clarissimus assedit, omnes, qui aderant, huius pacis tutorem Romanum Pontificem fore, si mente valere vellet, facillime iudicabant. Sed ubi pacis fama per Italiam advolavit, incredibile est memoratu, quam grata, quam iocunda, quam denique exoptatissima appareret. Immortalibus per supplicia in templis gratiae actae fuere. In omnibus fere civitatibus, ac municipiis faces incensae, ac cetera laetitiae signa Pontificis, ac Italiae sapientium consulta comprobare videbantur. Ductores ex statione sua contra morem minime exierunt, sed ut quisque hyemaverat, loco haud amotus alterum observare videbatur. Adeo quippe mentes mortalium grande bellum apparari sibi asciverant; ut suspicio haud facile dimoveri potuerit. Interea Divi Ioannis Baptistae festivitas subsecuta est. Eius cura Francisco Berlinghetio iuveni solertissimo, ac Musarum amicissimo, quibusdamque aliis nobilibus a Senatu mandata est. Tantus vero apparatus, tantaque pompa solemnitatis illius exstitit, ut quisque eam conspiciens Florentiam non imminuisse opes bello iudicaverit. Ad eam celebrandam

Al-

Alphonsus inclytus Dux, ceterique Principes, innumerique externi convenerant. Sed inter cetera praeclare gesta triumphus quidam miro ordine processit. In eo P. Scipio triumphali curru vectus priscorum temporum memoriam effudit. Ceterum consumta paene aestate Bartholomaeus Bergamensis in Galliam Cisalpinam cum copiis rediit. Alphonsus Princeps a paterna Maiestate in Regnum revocatus est. Hic Florentiam proficiscens tanto honore, tanta benevolentia susceptus est, ut magis civis, quam foedere coniunctus videretur. Inclytus Dux facundissima oratione functus patris Regis, ac suo nomine se perpetuo Florentini Imperii defensorem obtestatus est. Quum vero a Vexillifero Populi pie oscularetur, lachrymans omnium pectora civium, qui frequentia magna convenerant, sic commovit, ut extincto odio, & livore quisque felices sibi dies cum summo imperio exoptaret. Ingentibus praeterea muneribus auro, gemmisque pollentibus uti libertatis defensor magnifice a Florentino Populo donatus est. Sed piissimum fuit, quum venia a Senatu suscepta Petrum Medicem adierit. Nam virum fortunatissimum, si quisquam fuit, amplexus, atque osculatus exorabat, ut non secus sibi, quam duobus clarissimis

filiis

filiis se carum esse iudicaret. Tactis deinde Regalibus armis obtestatus est, se d'gnitatem nobilissimae familiae suae, ut regna paterna perpetuo defensurum. Laurentio deinde, ac Iuliano effusis lachrymis communem parentem piissime commendavit. Sed Medices uti gratissimi mortales haud mediocri magnificentia inclytum Ducem prosecuti sunt. Nam pretiosissima singuli dona tamquam benevolentiae pignora Principi elargiti fuere. Hac enim egregia laude ea Domus semper floruit, ut neminem officii sui paenitere debeat. Inclytus igitur Alphonsus Dux magna gloria cum copiis in Regnum rediit, optimaque auspicia attulit, ut paterno, avitoque imperio dignissimus haberetur.

F I N I S.